Quaestiones de epigrammatis Graecis ex lapidibus ...

Richard Anton Wagner


SIGILLUM COLLEGII COLUMBIAE NOVI EBORACI

QUAESTIONES
DE EPIGRAMMATIS GRAECIS EX LAPIDIBUS COLLECTIS
GRAMMATICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

RICCARDUS WAGNER
CAMENZIANUS.

LIPSIAE
TYPIS J. B. HIRSCHFELDI.
CIↃIↃCCCLXXXIII.

GEORGIO CURTIO

SACRUM.

INDEX.

VITA.

Natus sum Riccardus Antonius Wagner Camenziae a. d. IV. Cal. Iun. a. h. s. LX. patre Antonio, matre Clara e gente Geissler, qua adhuc superstite laetor, cum patrem carissimum, qui assessoris munere Camenziae fungebatur, praematura morte a. h. s. LXVII. mihi ereptum vehementer doleam. Fidei addictus sum evangelicae. — Paulo post patris mortem Reichenbergam, Bohemiae urbem, adductus sum, ubi avunculi optimi Max. Geissler, verbi divini interpretis, disciplina scitissima, qua per biennium frui mihi contigit, omnibus litterarum elementis me diligentissime imbutum esse grata piaque memoria semper retinebo. Tum a. h. s. LXX. initio Dresdam profectus sum ad patruum Aemilium Kuhn, virum doctissimum et de antiquitatis cum Graecae tum Romanae scientia optime meritum, qui, qua benignitate ac paterno fere amore me excepit, in eadem mente usque ad diem supremum (a. d. XVI. Cal. Iun. a. h. s. LXXX.) perseveravit. Senis summe venerandi memoria in sempiternum sacra mihi erit. — Dresdae novem per annos gymnasium, quod est ad aedem Sanctae Crucis, rectore Friderico Hultsch, viro non minore humanitate quam doctrina praedito, frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus mense Aprili a. h. s. LXXIX. Lipsiam me contuli, ut studiis philologis incumberem ac per septem adhuc spatia semestria scholas adii virorum illustrissimorum: Braune, Brugman, Curtius, Drobisch, Eckstein, Heinze, Hildebrand, Hirzel, Lange, Lipsius, Meyer, Overbeck, Ribbeck, Schultze, Voigt, Windisch, Zarncke. Tria per semestria proseminarii philologi,

cui Lipsius praeest, exercitationibus interfui, deinde seminarii philologi, cum iam per sex menses sodalis extraordinarius exstitissem, ordinariorum numero adscriptus fui tria per semestria, quorum per duo seminarii seniorem me esse voluerunt directores humanissimi G. Curtius, L. Lange, O. Ribbeck. Ter senos menses interfui exercitationibus societatis grammaticae, quam Curtius moderatur, totidemque Ribbeckii societati pilologae ac per senos menses Langii et Lipsii societatibus antiquariis. Item seminarii Germanici, quod Zarncke regit, sodalis extraordinarius exstiti tria per semestria atque etiamnunc sum, non minus quam Curtii et Ribbeckii societates magno cum fructu et oblectatione adhuc frequento.

Magistris hisce meis cum omnibus, tum Georgio Curtio, qui ex quo primum Lipsiam veni studiorum meorum rector exstitit et adiutor benignissimus ac liberalissimus, nec non Ottoni Ribbeckio praeceptori humanissimo gratias quam maximas mihi agendas esse libenter gratoque animo profiteor eosque pio animo colere nunquam desinam.

Scripsi Lipsiae a. d. XIV. Cal. Nov. MDCCCLXXXII.

Epigrammata inter omnia Graecae poesis genera quam maxime eo excellunt, quod, antiquissimum si omittimus aevum sola ad epica carmina excolenda inclinatum atque propensum, omnibus temporibus eorum usus latissime patebat. Etenim, si inscriptionum tantum testimonia perlustramus, inde a VI a. Chr. n. saeculi initio, cui vetustissima epigrammata sepulcralia ascribere solemus, usque ad Byzantinorum aetatem, qua gravissima iam labe lingua Graeca erat afflictata, unam atque continuam exemplorum seriem nostrae memoriae servatam esse apparet. Quae ne summa quidem singularum gentium ac populorum inter se distantia interrumpitur: immo vero omnibus ex regionibus, in quibus unquam frequentior sermonis Graeci usus exstitit, a Ponti Euxini litoribus ad Herculis columnas, a remotissimis Aegypti angulis ad Rheni nostri ripas, epigrammata Graeca ad nostram aetatem pervenerunt. — Unde omnino orta sit ista frequentia, facile investigatur. Nempe Graeci, quae erat felicissima huius populi indoles, ad varias (ne dicam omnes) res sententias cogitationes numerosa oratione proferendas per se mirum quantum inclinabant. Quo factum est, ut, cum singula a singulis gentibus, pro uniuscuiusque peculiari natura, carminum genera excolerentur, omnes aequabiliter indigerent simpliciore quodam ac breviore metro, cui facile apteque mandarent, quae sive publica sive privata in vita cotidiana hominum animos aliquo laetitiae luctusve sensu afficiebant ac perstringebant. Sic incredibilis fere orta est varietas argumentorum, quae in epigrammatis tractari videmus: nam praeter titulos sepulcrales, qui dimidiam partem omnium explent inscriptionum metricarum, hominum habemus seu de patria seu de singulis civibus bene meritorum laudes atque honores, exstant epigrammata signis aliisque donis inscripta, quae qui

posuerunt deorum esse volebant sacra, accedunt, quae in universum ad deorum cultum pertineant et ad certamina gymnica ac musica, neque oraculorum et hymnorum exempla prorsus desiderantur, legimus adhuc, quae viatorum admiratio aut iactantia templorum Aegyptiorum parietibus Memnonisque quae ferebatur statuae inscripserunt, multaque alia, quae singula enumerare longum est. Atque quantum ista omnia ad Graecorum cum litteras cognoscendas, tum universum cultum victumque illustrandum valeant nemo non videt; sed etiam res grammaticae multae reperiuntur sat memorabiles, quas, cum magna ex parte minus adhuc, quam par erat, innotuerint, accuratius hic colligendas disponendas explicandas nobis proposuimus.

Hoc autem in tanta epigrammatum varietate bene tenendum est proprium atque genuinum eorum usum, id quod ipsum docet epigrammatis nomen nec non antiquissima exempla comprobant, nisi inscriptionibus non constitisse. Postea vero, cum eximia usus frequentia florere coepissent, poetae ad titulorum similitudinem componebant epigrammata, quae lapidibus incisa fingebant. Iam cum posteriore aetate multi exstitissent, qui summo studio epigrammata ex lapidibus colligenda curarent, aliaque ex poetarum libris adderent, denique evenit, ut duo illa genera vix inter se possent dignosci. Atqui, quod quidem ad argumenta carminum attinet, non nimium tribuendum videtur isti differentiae: contra ad grammaticam singulorum verborum formarumque auctoritatem diiudicandam plurimum refert, utrum titulorum fide certissima nitamur, an in apographis versemur grammaticorum libidine non minus, quam librariorum neglegentia graviter depravatis. Nobis igitur accuratissime disiungenda sunt duo haec carminum genera, alterum inscriptionum, sive ipsos lapides inspiciendi facultas etiamnunc data est, seu a viris doctis recentiore aetate descriptas esse scimus, alterum eorum, quae inde ab ipsa antiquitate libris tantum manuscriptis nostrae memoriae servata sunt. Utrumque autem genus quamvis diversa ratione (quod paucis exemplis allatis delineare magis quam explanare hic sufficiat) alteri alterum emendando uberrimam attulit opem atque auxilium. Nam cum saepissime

mutilati ac decurtati exstent lapides, ex ipsis frustulis interdum concluserunt viri docti, quodnam epigramma in Anthologia servatum exprimendum curaverit lapidarius; unde tam plena quam certa supplementa lapidi adhibere licuit. Sic in paucissimis verbis quae etiam legi poterant epigrammatis Nicopolitani n. 512 [1]) carminis A. P. VII, 593 frustula agnoverunt editores. Contra haud raro contigit, ut depravatis Anthologiae carminibus, quorum reliquiae etiam lapidibus incisae ad nostram aetatem pervenissent, certa emendatio ex eis afferretur; ut Kaibel (Herm. X, p. 1 sqq.) ex epigrammate Romano I. p. Chr. n. saec. n. 1111 versus Callimacheos epigr. 43 (ed. Schneid.) optime restituit.[2]) Ceterum in Anthologiae codice multa leguntur, quae haud dubie interpolatorum inscitiae vel incuriae librarii tribueremus coniecturisque tollere conaremur, ni certa testimonia, quae re vera talia quondam in usu fuisse demonstrarent, nobis suppeditarent tituli. Cuius rei hoc proponam exemplum luculentissimum. In Archiae poetae epigrammate A. P. VII, 140 de Hectore haec dicuntur *πᾶτὴρ μὲν Πρίαμος* .... Quod cum ferri non posse consentirent editores, variis coniecturis locum frustra vexaverunt: nunc nihil mutandum esse discimus ex epigr. Delphico n. 483:

σῆμα τόδ᾽ ἥρωος· πᾶτὴρ παρὰ ταῖσδε πύλαισιν.[3])

Sed cum epigrammatum in codicibus traditorum uberrima praesto essent corpora in Anthologiis, lapides uno conspectu perlustrandi nulla data erat occasio. Quam enim vir summus Welcker a. 1829 instituerat *Syllogen epigrammatum Graecorum* (cui accedebant Spicilegia epigr. Gr. in Mus. Rhen. N. S. I. III. VI), ea ne tum quidem, cum publici iuris facta est, omnium quae nota erant epigrammatum copiam est amplexa. Nostra autem aetate vir doctissimus, qui munus gratissimum subierat omnes inscriptiones metricas congerendi, *G. Kaibel* edidit *Epi-*

1) Numeri, ni quid additur, ad Kaibelii Epigrammata Graeca pertinent.

2) Cf. praeterea n. 298, 4 (Kaib. annot.) cum A. P. VII, 740 et n. 1115 cum A. P. XI, 193, ubi et quae in Anthologia leguntur inscriptionis verbis emendantur et lapidis vitium metricum codicis scriptura sanatur, et n. 1124 cum Anth. Plan. VI, 13.

3) Cf. praeterea n. 1113 cum A. P. IX, 366, 4.

grammata Graeca ex lapidibus conlecta. Berol. 1878, quibus adiecit *Supplementum epigr. Gr.* in Mus. Rhen. XXXIV p. 181 sqq. Quamquam ne sic quidem omnia quae exstant epigrammata coniuncta sunt: multa enim omisit editor, multa etiam tribus hisce annis effossa sunt, ut omnium, quae praeter Kaibeliana inspeximus, plenum indicem infra addere haud inutile duxerimus.[1])

1) Primum feliciter evenit, quod ipsorum epigrammatum Kaibelianorum magna pars novis curis a viris doctis tractata nunc exstat. Sic titulorum vetustissimorum speciosissima apographa nunc facile inspiciuntur apud Roehl, Inscriptiones Graecae antiquissimae. 1882; sic recentiora epigrammata Attica, quorum maximam partem nemo adhuc praeter Cumanudem, isque minusculis ediderat, accuratissime expressit Dittenberger CIA. III, 2 (1882), sic denique Puchstein (Diss. Arg. IV, p. 1—78) in carmina Aegyptia diligenter inquisivit ac multas de scriptura dubitationes tollendas curavit. — Nova autem accedunt haec:

Inscr. Graec. ant.: n. 7. 18. 20 (7, 62—64). 54. 62. 325. 382. 384. 393. 407. 408. 410. 512a. 536. 542. 552a. 62a.

CIA. III, 2: n. 1307. 1317. 1318. 1324. 1326. 1331. 1346. 1352. 1365. 1375. 1380. 1388. 1395. 1396. 1399. 1400. 1402. 1416 singulaque versuum frustula: n. 1334, 1389—1393. 1405—1411. 1413—1415.

CIG. IV. Christianarum inscriptionum, quamvis omnes perlustraverim, tamen singularum titulos proferre nolim, quoniam ipse Kaibel selectas tantum ex eis libro suo inseruit: quod non satis respexit, qui recensionem conscripsit in Leutschii Philol. Anz. XI, cum multos titulos Kaibelium fugisse notet, quos consulto haud dubie omisit vir doctus.

Lebas et Wadd. Voyage arch.: n. 970. 977 (?). 978. 1024. 1046. 1060. 1134 (?). 1135. 1182. 1188. 1428. 1535b. 1648. 1757. 1774. 1912. 2537f. 2570. 2712.

Archäol. Zeitg.: tituli Olympici n. 288; n. 301; n. 331 (1879); n. 339 (1880); n. 393 (1881).

Mitth. d. arch. Inst.: IV. p. 11 sqq. sex epigrammata, p. 283; V. p. 121. 123. 124. 336; VI. p. 106. 123. 128. 129. 130. 131; VII. p. 234 sq. (tria epigr.).

Bull. de corresp. Hell. 1879: p. 3. 144. 168. 197. 316. 326. 387. 445. 447. 483. *1880:* p. 109. 131. 273. 284. 287. 406. 494.

Revue arch.: 1878, XXXVI, p. 301 et 304; XL, p. 166; XLI, p. 124.

Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη etc.: 1880, p. 128. 151. 153. 181.

Puchstein n. Ia. XVIII. XX. XXIV—XXVI. XXVII D. XXXI. XXXIII.

Herm. XVII, 626 epigr. Atticum sat vetustum ed. Kirchhoff.

Americain Journ. of Philol. III, n. 10 epigr. Syr. recentiss. Gerasae effoss. ed. Allen (quod benigne mecum communicavit praeceptor illustrissimus G. Curtius).

Iam, priusquam ad singula perveniamus, de sermone quo utebantur epigrammatum poetae pauca in universum praemonenda sunt. Haec autem de sermone quaestio ut in omnibus Graecae poesis generibus artissime cohaeret cum metricae formae explicatione. Ac duo quidem inde a primordiis inveniuntur epigrammatum metra, alterum versus heroici ex epicorum usu recepti, alterum distichi elegiaci; quae per omnia saecula epigrammatum propria ac principalia metra ita manserunt, ut, quamvis saepe varia ratione depravata et obscurata exstent (cf. cap. III), tamen semper regularis versuum forma perluceat. Reliqua autem, quibus passim usi sunt epigrammatum poetae, metra (senariorum imprimis frequentiora inveniuntur ac vetustiora exempla), ad nostram quaestionem minus pertinent, quippe quae tum primum frequentius adhiberi coeperint, cum iam pridem constituta atque firmata erat propria epigrammatum dialectus, quam ex elegiarum usu simul cum ipso metro poetae sibi assumpserant. Iam qua ratione ista dialectus ex sermone Homerico orta sit quaque ex parte ab illius imitatione recedat copiosius exponere nostrum non est, quoniam in haec omnia diligentissime inquisivit J. G. Renner in Quaestionibus de dialecto antiquioris Graecorum poesis elegiacae et iambicae (Curt. Stud. I 1, 133 sqq., 2, 1 sqq.)[1]: nobis ea tantummodo tractanda sunt, quae ab hoc usitato epigrammatum sermone aberrant. Eiusmodi autem differentiarum duo potissimum genera exstitisse ipsa fert epigrammatum condicio. Primum enim, cum per totum fere orbem terrarum, quas quidem cognovissent Graeci, eorum usus pateret, fieri non potuit, quin singularum linguae Graecae dialectorum largiora vestigia sive ex ipsorum poetarum patrio sermone, sive, ut videbimus, ex lapidariorum usu vulgari in illa carmina irreperent. Deinde autem, quamquam semper unum idemque remansit fundamentum sermonis elegiaci, tamen etiam hosce in titulos paulatim satis perspicua inferebantur vestigia gravissimarum mutationum, quibus intra tot saeculorum spatia sensim afficiebatur et a legitima con-

1) Quibus nuper accessit Sitzleri commentatio in Fleckeis. Ann. CXXV, p. 504—518.

suetudine deflectebatur lingua Graeca. Vulgi nimirum quae erat loquendi ratio iam inde ab antiquiore aetate cum litterarum pronuntiatione, tum nominum verborumque declinatione multum distabat ab hominum eruditorum usu semperque recedebat ab ea sermonis proprietate, quam litteris mandare solebant et scriptores in libris componendis et in actis decretisque publicandis magistratus. Iam epigrammatum ea praecipua est indoles atque virtus, ut sola huius dialecti vulgaris uberiora vestigia nostrae memoriae servarint. Nam cum epigrammata non ut reliqua carminum genera a poetis tantum conderentur, verum etiam homines artibus litterisque ne obiter quidem imbuti eis componendis operam darent, ipse hic privatus atque ut ita dicam domesticus usus effecit, ut ex indoctorum scriptorum sermone multa peculiari epigrammatum dialecto admiscerentur. Huius autem antiquae linguae vulgaris in eo posita est proprietas, ut continuum quendam transitum efficiat a summa perfectione veteris graecitatis ad recentiorum Graecorum loquendi consuetudinem.

Iam habes duas partes, in quas quaestionem nostram dividamus necesse est, alteram, qua explicentur veterum dialectorum reliquiae, alteram, qua labentis graecitatis indicia colligantur.

I.

DE VETERUM DIALECTORUM IN EPIGRAMMATIS VESTIGIIS.

Dialectorum per varia genera poesis Graecae distributio inde orta est, quod quasi suum quaeque gens poeticae elocutionis genus cum sibi elegisset eximiaque arte excoluisset, suae etiam dialecti vestigia ei impressit tam firma, ut cum ipsis carminibus artissime cohaererent ac per omnia saecula, quibus vivus ac popularis dialecti usus iam pridem ex-

stinctus esset, permanerent. Sic ex commixta Ionum Aeolumque sermonis consuetudine dialectus prodiit epica, quam in elegiarum epigrammatumque usum transiise vidimus, ea tamen restrictione addita, ut multa aliarum dialectorum vestigia inserta esse moneremus. Iam si simpliciter esset statuendum in brevissimis hisce carminibus Graecos suo quemque sermone uti maluisse, vix hercle esset quod miraremur. Sed permultis in epigrammatis mira quaedam animadvertitur dialectorum confusio atque vacillatio inter Ionicas imprimis vel vulgares et Doricas vel Aeolicas formas, quae primo quidem aspectu nulla omnino regula adstricta esse videtur. Iam cum A. Kirchhoff commentatione egregia: Zur Geschichte des attischen Epigramms (Herm. V p. 48 sqq.) eam exposuerit legem, qua omnia, quae in antiquissimis epigrammatis Atticis exstant dialecti Ionicae vestigia, facile expediantur, ab huius ratione in colligendis ac disponendis dialectorum vestigiis nos quoque profectos esse libere gratoque animo profitemur: quamquam, cum non modo antiquiore in aevo nobis morandum, verum etiam ad ipsa infima tempora descendendum sit, ad tam simplices certasque leges, quibus facile omnia explanentur, nos perventuros esse ne exspectari quidem potest. — Ac variis quidem explicandi rationibus uti licet, ex quibus tres, quae usus frequentia inter omnes eminent, singulis dialectis deinceps adhibeamus. Primum enim Graeci suae quisque dialecti formas in carmina illa intulerunt, sive ipsa in patria titulum insculpendum curabant, sive patrii sermonis vestigia externas in gentes importabant. Tum posteriore aetate hominum ad quos pertinebant epigrammata ordinem ac munera quibus fungebantur ad eligendam dialectum alicuius momenti fuisse videbimus. Deinde multa exempla dialecti permixtae eo expediuntur, quod aliquam carminis partem, seu voces singulas seu integros versus, ex alio quodam carmine aut ex universo alius poesis generis stilo ac tenore expressam esse cognoscimus.

Cap. I.

De dialecti Doricae et Aeolicae vestigiis.

Cur utriusque dialecti quae inveniantur exempla aptissime inter se coniungi possint, ex tota ratione, qua dialectorum imitationem instituere soliti sunt poetae, statim apparet. Tantum enim aberat, ut perpaucis exemplis [1]) omissis plenam omnium formarum dialecticarum imitationem sibi proponerent, ut nil praeter universam quandam dialecti speciem atque colorem carmini inferendum curarent. Quae regula aliqua ratione ad omnia fere Graecae poesis genera pertinet. Ut unum idque antiquissimum exemplum proferam, Tyrtaeus, cum in reliquis carminibus integrum servasset elegiae sermonem, in embateriis, quippe quae in ipsum praecipue hominum popularium usum componeret, popularem etiam dialectum ita imitatus est, ut solam Doricam quae vocatur *ᾱ* et terminationem gen. pl. decl. I in *-ᾶν* sibi assumeret. Hosce igitur versus, quoniam utrumque Aeolum non minus quam Dorum dialecti proprium est, Lacedaemoniisne an Aeolicae cuiusdam civitatis militibus composuerit poeta, per se dignosci nullo modo potest. Sic epigrammatum quoque poetae Doridem Aeolidemve imitaturi id tantum adhibebant, quo creberrime istae dialecti ab epici sermonis proprietate recederent, *ᾱ* videlicet pro *η*, atque id ipsum saepius in verborum terminationibus quam in radicibus [2]), cum illae paulo firmius auribus inhaererent. Unde factum est, ut maior omnium epigrammatum, quae omnino dorismi aut aeolismi vestigia praebeant, pars sola huius litterulae mutatione a communi sermone recedat. Contra reconditiorum Doricae Aeolicaeque dialecti formarum prae ingenti epigrammatum multi-

---

1) Huc pertinent notissima Balbillae epigrammata n. 988—992, antiquissima Corcyrae n. 179—181, quibus accedit memorabile dialecti Thessalicae exemplum Inscr. Gr. ant. n. 325.

2) Quod duobus exemplis comprobasse sufficiat epigr. Smyrn. saec. II vel I a. Chr. n. *n. 241 ἥβαν, Ἀιδαν, μυρομένα, βιοτᾶς : μήτηρ, ἡ δύστηνος Μητρίς, ἡ,* et Spart. IV p. Chr. n. saec. *n. 917 κούρα Σπάρτας ἁ πρώτα, νέα, πάτρᾳ κυδαλίμαν : ἡγεμονῆα, Πηνελόπεια, ἥν, ἠέξησεν.*

tudine pauca tantummodo exempla inveniuntur. Annotabo equidem, quae obiter perlustranti occurrunt. Paulo saepius etiam genetivi illi in -*ᾶν* exeuntes adhibentur: *Παγᾶν* n. 26, *Ἀτρειδᾶν* n. 254, *θαλπωρᾶν* n. 464, *νεοπολιτᾶν προστατᾶν* n. 783, *Ἐρεχθειδᾶν* n. 852. 928, *Ἀγηνοριδᾶν* n. 932, *παλαιστριτᾶν* n. 948. Eiusdem mutationis exempla praebent *πρᾶτος* n. 187. 491. 843. 1028, *πράτιστος* n. 932. Litterae *ω* pro vulgari *ου* adhibitae praeter *ὠρανός* 1028, 19. 28. in II. decl. terminationibus pauca exstant vestigia *τοίως ἀποφθιμένως τώςδε τάφως Ποικιλίω ἐκγόνω* n. 573, *νάσω* n. 978, quibus crebriora accedunt exempla hymni in Isidem n. 1028 (in quo simul cum n. 978 forma *ἐμμὶ* pro *εἰμὶ* exstat, ut *ἦς* pro *ἦν* legitur n. 491). *οι* pro *ου* habemus n. 238 *Μοισάων* (contra *Μῶαν* in tit. Spart. Romanae aetatis n. 806), *προλιποῖσα* n. 464 et quae similia inveniuntur in hymno n. 1028. *γρόφων* pro *γράφων* exstat in antiquissima inscr. Melia n. 740 et *ἀτροπός* pro *ἀτραπός* n. 475. Consonantium mutationes has memoraverim: *ποκά* pro *ποτέ* aliquoties occurrit, ut n. 184. 187. aoristi Dorici quamquam ne ab Homerico usu alieni in -*ξα* pro -*σα* exigua agnoscuntur vestigia ut *ἐνυβρίξῃς* n. 195. *ἐξηργάξατο* n. 762; contra plane singulare est *σπάδιον* pro *στάδιον* (cf. Ahrens Dor. p. 109) n. 936 (V a. Chr. n. saec.). Etiam formae III. pers. sing. et plur. in -*τι* et -*ντι* interdum inveniuntur, ut *δίδωτι* in vasculo saec. VI n. 1130, *φαντί* n. 851, *φωνεῦντι* n. 978, 11. — Hisce praemissis ad singulorum epigrammatum rationem explicandam perveniamus.


1. *De Doridis Aeolidisque vestigiis in epigrammatis, quae ab ipsis Doribus Aeolibusve inscripta sunt.*

Hic primum plenus conficiendus est index epigrammatum, quae in Dorica quadam aut Aeolica civitate effossa largiorem formarum dialecticarum usum ab ipso poeta admissum perhibent.

Laconici tituli: n. 472 (ante ol. 75), n. 471a (IV a. Chr. n. saec.), n. 806. n. 1101 (II saec. p. Chr. n.). n. 917 (IV p. Chr. n. saec.).[1])

---

1) Adde tit. Sellasiae I. Gr. ant. n. 82a.



Argolici n. 936 (saec. V a. Chr. n. ineuntis), n. 846 (s. IV a. Chr. n.), n. 877 b (saec. II p. Chr. n.), n. 1109 recentiss.

Reliqui Peloponnesiaci exstant Megaris n. 461 tit. ipse antiquiss. et n. 843 vetustioris epigrammatis recens apographum [1]; *Corinthi* notissimum *Δϝεινία* epitaphium n. 463 a, *Megalopoli* n. 1044 (Rom. aet.).

Boeotici V a. Chr. n. saec.: Tanagrae n. 484, Thespiis n. 485. 486, Thisbae n. 757; *IV saec.:* Thebani tres n. 492 b. [2]) 768 a. 938 a; *II saec.:* Orchomenius n. 491, denique *I vel II saec. p. Chr. n.* Tanagraeus n. 496, quibus addenda sunt Thisbae n. 757 a, cuius de aetate nihil constat atque antiquissima vasculi inscriptio, n. 1130 (cf. Kaib. annot.). [3])

Septentrionalis Graeciae: tit. antiquiss. Crissaeus n. 742, Delphicus n. 849, anni fere 311 a. Chr. n., Locrensis n. 855, anni fere 229 a. Chr. n., Acarnanici n. 182 V. a. Chr. n. saec. et n. 481 b (Mus. Rhen. XXXIV); Thessalici I. Gr. ant. n. 325, Triccae n. 504 (bonae aet.), Hypates n. 856 a (Macedon. aet.).

Ex *coloniarum* titulis vetustate excellunt epigrammata *Corcyraea* VI saec. n. 179—181. 181 a, praeterea n. 183 sat bonae aet. et 184 II fere p. Chr. n. saec. Soli quod ex ceteris insulis Ionicis accedit exemplo n. 186 (*Ithacae*, Alexandri aet. inscr.) statim adiungam unum quod invenitur exemplum *Siculum* n. 824 b (Tauromenii) I fere a. Chr. n. saec. — Copiosiora exstant *Sporadum* epigrammata Dorica: *Meli* n. 740 (VI a. Chr. n. saec.), n. 189 (III a. Chr. n. saec.), *Pholegandri* n. 190 (melioris aetatis), *Astypalaeae* n. 194 (litt. vulg.), *Therae* n. 942 (I fere a. Chr. n. saec.), n. 191 (Rom. aet.) quibus accedit inscr. *Cyrenaica* n. 260 (saec. III vel II), *Cretae* n. 195 (I p. Chr. n. saec.), n. 196 (litt. vulg.), *Rhodi* n. 197. 197a (litt. Ͱ). 851 (III

---

1) Quod ut spurium censeam, ne E. Schneider quidem (De dial. Megar. 1882, p. 8) mihi persuasit. Medium enim epigrammatis distichon scholiasta ad Thuc. I, 6 consulto omisisse mihi videtur, quippe quod ad rem Thucydidis loco tractatam prorsus non pertineret.

2) Cui accedit, quod notatu dignum iure videtur Kaibelio, epigrammatis n. 492 eodem in lapide eodemque fere tempore insculpti dialectus vulgaris.

3) Adde tit. Theb. Bull. de corresp. Hell. 1879. p. 387.

a. Chr. n. saec.), *Coi* n. 201 (I fere a. Chr. n. saec.) — *Cnidi* n. 783 (litt. ΓΣ), *Halicarnassi* n. 205 et n. 786 (utrumque saec. II a. Chr. n.), n. 206 (I a. Chr. n. saec.), *Smyrnae* n. 234 (saec. III a. Chr. n.), n. 238 (I a. Chr. n. saec.), n. 240 (litt. vulg.), *Ilii Novi* n. 1080 et 1081, Mytilenis n. 242, *Cypri* n. 254 (saec. IV vel III), n. 255 (circa a. 306 a. Chr. n.), n. 256 (I p. Chr. n. saec.).

Perlustrantes totam hanc epigrammatum multitudinem ab antiquiore aetate longe maximam eorum partem repetendam esse perspicimus. Nimirum inde ab Alexandri Magni aetate vulgaris linguae Graecae dialectus, quam *κοινὴν* vocamus, paulatim in omnes Graeciae civitates inferebatur atque dialectorum usum primum minuere formisque vulgaribus inficere, deinde prorsus delere incipiebat.

Hisce autem epigrammatis, in quibus formae dialecticae praevalent, opponenda sunt ea, quae rarioribus tantum dialecti vestigiis sive scriptoris sive lapidarii patriam indicant. — Ac primum quidem etiam eis in carminibus, quae vulgari utuntur dialecto, pauca quaedam facillime restant verba, quorum usitatae formae mutationem dialecti aegre admittant, nomina videlicet personarum atque terrarum. Sic inveniuntur epigrammata ita comparata, ut sola nomina hominum, qui posuerunt monumenta, aut quorum in honorem exstructa sunt, patrium sermonem profiteantur: nr. 463 (Crommyi eff., saec. II vel III) praeter *βέβηκα, πηγὰς, ζωῆς* legitur *Φιλοστράτα*; n. 469 (prope Argos, litt. vulg.) mulierem mortuam, cui nomen erat Pege, Pegis in urbe Megarica natam esse discimus. Quod ita expressit poeta, ut in praescriptis mulieris nominis usitatam formam retineret *Πήγη χαῖρε*, oppidi autem Doricum nomen inferret *τίκτομαι ἐν Παγαῖς*. In recentiore titulo eiusdem regionis n. 470 praeter aperta epici sermonis indicia *μοίρης, ἀνβροσίης* nomen exstat *Σωσιπάτρα*; tit. Thessalicus n. 505 (II a. Chr. n. saec.) praeter indicem *Ποντάλα Ποντάλεια κόρα Τιτυρεία γυνά* nominis formam praebet *Πωτάλα* (contra *κούρη, γυνή* al.). Item in tit. Cnidio n. 785 nomina habes *Κούρᾳ Δάματρι, Χρυσίνα* (contra *Χρυσογόνης μήτηρ στάθμη*) et in tit. sub Cithaerone eff. n. 756a (Mus. Rhen. XXXIV) *Δάματρος*.

Eiusmodi nominum formis multo plus tribuendum esse eis

in titulis, quos Dores Aeolesve aliis in terris posuerunt, mox videbimus: nunc ad **lapidarios** perveniamus. Quid enim facilius accidit, quam ut lapicidae, quos ut simplices opifices artibus litterisque minime imbutos fuisse iure suspicamur, dialectica inscriptione ab homine peregrino ad insculpendum tradita, domesticas quasdam formas pro illis minus usitatis substituerent? Hoc autem non modo in foedera singularum inter se civitatum cadit Amphictyonumque decreta, quorum, cum proprie unius dialecti usum constantem perhiberent, deinde alia aliis in civitatibus a lapidariis exemplaria incisa sunt (cf. Ahrens, Dor. p. 18), verum etiam epigrammatis unice veram multiplicis fluctuationis explicationem affert. Atque cum ad singula epigrammata saepius rectissime annotaverint editores, imprimis Kaibel ipse, qui diligentissime talia observavit, tamen omnia exempla congerendi operam video adhuc subiisse neminem. Incipiendum autem videtur a luculentissimo omnium exemplo, in quo etiam, qua ratione paulatim ingressa sit vacillatio, assequi possimus, a tit. Thessalico n. 506 (I saec. sive a. sive p. Chr. n.). Etenim duplex habemus epigramma in eiusdem hominis artis medicae peritissimi honorem. Cum autem in posteriore haec legantur:

v. 11. *ἤσκησεν δὲ τέχνην] Ἀσκληπίου, ἣν ἐφύλαξεν*
πᾶσι παρ᾽ Ἕλλησι]ν δόξαν ἀειράμενος,

eadem in priore repetuntur v. 5 sq. (unde usitatam formulam ad medicorum laudem praedicandam esse conicias), ea tamen mutatione intercedente, ut Doricas quasdam formas inseruerit lapidarius *Ἀσκλαπίω* [1]) (nota dei nomen) et *ἄν*. In tit. Theraei n. 193 (II a. Chr. n. saec.) ipso initio, ubi nondum ad formas Ionicas (*ἥβην, ἀνηγόμην, ᾠχόμην*) incidendas perventum erat, forma *μουσοτέχνας* lapidarium Dorico sermoni assuetum apertissime prodit. Eadem ratione forma *ἀτροπός* in ipso primo versu epigr. Spart. n. 475 expeditur. Reliqua exempla Laconica sunt n. 949, ubi praeter nomen *Δαμοκράτης* legitur *ἀνίκατοι* et n. 888 (litt ЄC) *ἀντ᾽ ἀρετᾶς* in carmine Ionico.[2]) Tres huc

1) ΑΣΚΛΑΠΙΩΙ in lapide est.

2) Quamquam hanc quidem formulam consulto a poeta illatam esse probabilius fortasse conieceris.

pertinent tituli Argolici n. 465, 5 (I vel II saec.) *Σμύρναν τὰν φιλότεκνον*, ubi ad nominis Dorici similitudinem etiam insequentis articuli forma transmutata est per lapicidae neglegentiam, cui praeterea v. 7 *μναμόσυνον* debemus, n. 468 *Ἀίδας*, n. 821 (II vel III saec.) *στάσαντο* (contra *γῆς*). In tit. Tanagraeo n. 938 (I a. Chr. n. saec.) praeter Boeoticam subscriptionem *Καφισίας ἐπόειοε* ipso in epigrammate nomen exstat *Φορύστας*, cui accedunt *πτανοῖς* et *πάτρας* (contra *τήνδε*, *κῆρυξ*, *νικήσας*). n. 112 Aeginae in insula effossum solam praebet formam Doricam *βουλάν*. In tit. Cretensi n. 815 (II fere p. Chr. n. saec.) v. 10 *θυσίαν* lapidarii vitium esse apparet ex v. 2 *θυσίην*, contra v. 8 *συμβίου ἀγνοτάτας τοῦδε καταφθιμένας* formas Doricas aut consulto a poeta admixtas esse, aut integrum versiculum aliunde petitum statuere malim. Huc etiam tit. Sagalassi (Pisidiae urbis) n. 407, IV p. Chr. n. saec., referendum censeo, qui inter Ionicas formas semel perhibeat *τέχνα* v. 11. Nam cum haec urbs addito in nummis cognomine *Λακεδαίμων* Laconicam originem iactaret (Eckhel, doctr. num. P. I, vol. III, p. 23), Doricae etiam dialecto adhibendae operam dedisse incolas haud improbabile videtur. Denique huc pertinent tit. Phrygii Cotiaei, quorum ea sit ratio, ut de lapidariis Doridi assuetis non possis non cogitare. Namque in epigrammatis, ceterum vulgaribus, singulares hae inveniuntur formae Doricae n. 363 *ἕκατι*, n. 369, 3 *γαμέταν*, n. 371, 3 *μάτρων*.

Secundo loco ea tractanda sunt epigrammata, quae alienis in terris a Doribus vel Aeolibus inscripta esse sive expressis verbis ipsa testantur, sive nomina aliaque dialecti vestigia aperte indicant. Eiusmodi autem exempla longe copiosissima Atticae nobis suppeditant inscriptiones. Atheniensium enim civitas, cum primum inde a bellis Medicis omnium rerum maritimarum principatu potita (ut cum Pindaro loquar) *Ἑλλάδος ἔρεισμα* exstitisset, deinde autem, illa quidem imperii summa amissa, litterarum non minore quam ante armorum laude inclaruisset, ut non sine causa *Ἑλλάδος μουσεῖον* vocaretur, omnibus hisce temporibus, id quod olim Pythius ipse vaticinatus esse ferebatur, commune erat *ἑστία καὶ πρυτανεῖον τῶν Ἑλλη-*



νων[1]), quo undique Graeci, nec vero hi soli, confluebant. Huius igitur omnium Graecorum conventus multa etiam in titulis nobis servata sunt indicia. Sed singula videamus. *n. 26* (ante med. IV a. Chr. n. saec.), cur satis multa praebeat Doridis vestigia, cognoscitur ex v. 2: nimirum *Πυθίων ἐγ Μεγάρων* a tribubus Atticis, de quibus in bello ut suspicantur viri docti Corinthiaco optime meritus erat, summis laudibus celebratur. — *n. 36* (eiusdem aetatis) Doricum servatum est urbis a Megarensibus conditae nomen *Σαλυβρία*, quod aliis in titulis Atticis Atticam formam induit *Σηλυμβρία* (cf. indices ad CIA.). Contra difficultatem satis magnam in eodem titulo Ionica nominis forma praebet *Πυθαγόρην*. — *n. 47* (saec. IV) subscriptio *Μαλίχα Κυθηρία* puellam indicat, *ἐκ Πελοποννήσου* quae Athenas venerat. — Prorsus geminum exemplum epigr. paulo recentius *n.* 77 praebet, quod homo quidam cuius originem Doricam ipsum nomen prodit *Δαμαίνετος* posuit filiae mortuae *Κρατίστα*. — *n. 762* (ex Kirchhoffii iudicio sub ol. 87 insc.) duplex Doridis indicium in voce *ἐξηργάξατο* exstare me monuit G. Curtius: quod cum per se probabilissimum sit (nam Theraeus quidam speluncam in qua exstat titulus instruxerat) tamen mirum videtur, quod, cum antea nomina imprimis patrium sermonem retinere observaverimus, hic Atticam formam invenimus *Ἀρχέδημος*. Sed cum alii tituli (partim illi quidem Dorice partim Attice conscripti, CIA. I, n. 431) Archedemum illum Therae in insula natum, Athenas postquam venit, civem Atticum factum esse comprobent, sic facile expeditur nominis forma Attica. — *n. 751* (Phidiae aetatis) incertum relinquitur, *Κυδωνιάτας* an *Κυδωνιάτης* legendum sit, quoniam in lapide exstat ΚΥΔΟΝΙΕΤΑΣ et in Anth. Pal. XIII, 13 *κυδωνιαι τας*. Atque Kaibel quidem, qui nomen dialecto accommodatum esse iudicet, *Κυδωνιάτης* praetulit, nos, qui prae ceteris ipsa nomina suam dialectum retinere multis exemplis edocti simus, non item, praesertim cum Kaibel ipse annotet solere artifices eas nominum suorum formas epigrammatis subicere, quae patrio sermoni conveniant. -- *n. 961* (med. II p. Chr. n. saec.) *Ἀλκιδάμου κοσμη-*

---

1) Athen. V. p. 187 d.

τεύοντος ἔφηβοι inde facile perspicitur, quod inter gymnasiarchos ac paedotribas saepius Lacedaemonios fuisse scimus. — Haec habes exempla Attica reliquis longe frequentiora: antiquissima autem praebent epigrammata dedicatoria *Olympiae* nuper effossa, in quibus cur suam quisque dialectum adhibuerit per se patet, VI a. Chr. n. saec. n. 743 Lacedaemoniorum, saec. V n. 744 Praxitelis Syracusani et n. 745 Hieronis.[1]) — Nec desunt insularum tituli, ut epigrammatis Aeginae effossi (IV saec.), aperta fit externa origo ipsius verbis n. 188

Γλευκίτα τόδε σᾶμα τοῦ Κυπρίου τοῦ Σαλαμινίου. —

Contra in tit. *Euboico n. 103*, quamvis desideretur expressa patriae commemoratio, tamen Doricae dialecti constans fere usus atque nomen *Δα[μα]ρμένου* hominem Doricum indicant. — Cycladum duo huc pertinent tituli, alter *Syri* n. 212 ubi praeter nomen *Θειοφίλα* formarum Doricarum frequentia, alter *Amorgi* n. 276, cuius solum nomen *Σωτηρίχα* externam originem testantur. — Paulo subtilior ratio est tit. *Chii n. 860* (litt. vulg.) qui in Megaclis cuiusdam honorem conscriptus ad celebrandam nobilem eius atque antiquam gentem, quae expressis verbis memoratur *γονῇ δὲ Δαμονίκου*, Doricas formas usurpasse videtur (una exceptione admissa in voce *ἀναστήσασαν*). Item in epigr. *Atheniensi n. 852* (ex Koehleri iudicio paulo a. Chr. n. inciso) Doridem aptissimam duxit poeta, qua Philteram ex nobilissima Aegidarum gente prognatam celebraret. — Restat ut aliquot titulos *Italicos* accuratius inspiciamus, ex quibus propter satis memorabilia Dorici sermonis vestigia (cf. p. 9) eminet tit. Romanus n. 573 (nomina commemorantur *Ἱππομέδων* et *Ἱπποδάμεια*), cum aliis in epigrammatis sola nomina Doridem indicent *n. 565* Florentiae (II p. Chr. n. saec.) *Πρόκλα* et *n. 642* Romae (saec. III vel IV) *Δαμοστρατείας*.

2. *Qua ratione hominum munera atque condiciones ad dialectum eligendam pertinuerint.*

Posteriore aetate, qua communis graecitatis usu magis magisque crescente dialecti paulatim exstinguebantur[2]), longe

1) Adde tit. Spartanum Olympiae effossum Inscr. Ol. n. 301 (Arch. Zeitg. 1879, p. 151).

2) Ut in Doricam inde a III. a. Chr. n. saec. plura in dies vulgaria

alia exstitit dialectorum consuetudo non tam natura generata quam arte ficta, cum homines certis quibusdam ordinibus generibusque seu animi seu corporis exercendi addicti in loquendo nec non in scribendo praeferre inciperent eius gentis formas dialecticas, cuius cum memoria summa ipsius ordinis laus atque gloria cohaereret. Cuius generis exemplum longe clarissimum, ad Ionicam dialectum ubi perventum est, tractabimus: nunc primum ipsis de *poetis* pauca verba facienda sunt.

Iam supra passim mentionem inseruimus *Balbillae*, quae cum Memnonis statuam a. 130 cum Hadriano imperatore eiusque uxore Sabina compluries visitaret, hoc iter quinque epigrammatis celebravit, quibus Aeolicam dialectum diligentissime imitari studebat. Haec Aeolidis testimonia quanti in tanta penuria inscriptionum Aeolicarum facienda sint (quamvis magna adhibita cautione, ne omnia, quae pro Aeolide grammatici secundi saeculi vendebant, olim Lesbidis poetriae propria fuisse confidamus), hic exponere longum est eoque facilius potest omitti, quo accuratius haec omnia nuperrime R. Meister [1]) pertractavit. — Balbillae hisce carminibus alii quidam tituli addendi sunt, quorum rationem similem esse apparet. Iure enim miraremur, quod in tit. Atheniensi, III vel II saec. posito in honorem Socratis cuiusdam Atheniensis, formae adhibitae sunt dialecticae, nisi poetam eum fuisse ipsa carminis verba testarentur.

n. 845 *ἦ μάλα σ]ᾶς ἐ[δ]άη[σ]αν ἀπὸ φρενὸς ἄξια Μοισᾶ[ν*
. . . . . υἷες Ἐριχθονιδᾶν.

Quam ob rem, ut recte explicat Kaibel, *Dorico* sermone aptius quam vulgari eius memoriam praedicandam duxerunt Athenienses. Eandem causam etiam epigr. Neapolitani n. 560 constanti formarum Aelicarum usui (nam *ἠγάγετο* v. 2 et *σωφροσύνην* v. 12 lapidario debentur) suppositam esse conicio propter v. 5 sq.:

(*δωρήσατο*)
Μοῦσα δὲ καὶ σοφίαν καὶ πακτίδα τὰν φιλέραστον
συμφωνίαν ἐρατοῖς μειξαμένα μέλεσιν.

---

irrepsisse animadvertit Ahrens. De Aeolica cf. Meister, Die griech. Dial. I, p. 8.

1) Die griech. Dial. I, cf. praeter singularum formarum explicationes p. 18.

Haud scio an sic etiam explicetur dorismus tit. Atheniensis (saec. IV) *n. 1054* propter v. 3 *ἀδυλόγον μοῦσαν μεθέπων*, cuius in formarum dialecticarum inconstantia diiudicanda praeterea reputes ex Illyria Athenas immigrasse poetam.

Praeter poetas *epheborum* hic ratio habenda est, quorum ex titulis sepulcralibus elucet adamasse Graecos in adulescentium virtute ephebica laudibus prosequenda, ex imitatione Pindari fortasse tamquam celeberrimi roboris iuvenilis praeconis, formas Doricas, quamquam hisce potissimum in titulis constantem Doridis usum fere nusquam animadvertimus.[1])

n. 239 Smyrnae (litt. vulg.) *ἅδε, Ἅιδας, ἀγέλας, ἐρατὰν, ἁλικίαν, ματρί*: *Ἡρακλείδην ἥλικος, ἐφήβου*.

n. 306 a Smyrnae *ταχύτατι* : *ἡβήσας*.

n. 222 Amorgi (Rom. aet.) *ἀρετᾷ πάτρα ματρί, μαννοῦσα, ἀρετάν, μοίρας* : *τίμησε, σήματι*.

n. 231 Chii (II vel I saec.) *μοῖρα, ἅρπασε, Φερσεφόνας ζωᾶς Ἀίδαν μᾶτερ* : *ἐφηβείας*. Quibus accedit exemplum prae ceteris memorabile *n. 233* eiusdem insulae (I a. Chr. n. saec.), ubi cum reliqua epigrammatis pars vulgari utatur ionismo (cf. *λίην* v. 8, alia) solo in primo disticho, quo ephebica Protarchi virtus laudatur, Dorica exstat forma:

ἄρτι σὲ τὸν θάλλοντα νέοις ἐπὶ γυμνάδος ἔργοις
ἅβας καλλίστοις ἄνθεσι τερπόμενον.

Ipsorum epheborum hi sunt tituli: gymnasiarchum habes in tit. prope Miletum effosso *n. 223*, unde explicantur formae *τὰν ἀόρατον, στᾶσε, ἅδε, ἀγεμόνα, ζωᾷ, δάμῳ, καρύξει, φάμα, ἀελίου, ἀμερίοισιν*, cum in *λήθης* v. 3 et *πανδήμῳ* v. 6 certo agnoscatur lapidarii Milesii manus. Denique paedotribae cuiusdam epitaphium *n. 252* (Panticapaei, I fere p. Chr. n. saec.) mira dialectorum confusione insigne est; v. 1 *στάλαν δέρκευ, Ἅιδης* v. 2 *ἡλικίην τέχνῃ παιδοτρίβαν Σινώπας* v. 4 *ἀρετᾶς* v. 5 *γῆ λέληθεν* v. 7 *στοργᾷ* v. 8 *σᾶμα*.

Etiam in *certaminum* sive musicorum sive aurigarum titu-

1) Quantum hic Ionicorum lapicidarum neglegentiae, quam equidem n. 222 et n. 231 agnoscere mihi videor, tribuendum sit, certo disceptari vix poterit.

lis ad victorem quam magnificentissime celebrandum Doricas formas interdum Ionicis praetulisse poetas inscriptiones quaedam Atticae comprobant: *n. 927* (II fere p. Chr. n. saec.), *n. 928* (eiusd. aet.), *n. 930*, quibus accedit tit. prope Sidonem effossus *n. 932* (saec. III) et Olympicus *n. 932a* (praeter nomen Ἀκεστορίδης). Quantum autem absit, ut certam regulam isti secuti sint, ex reliquis titulis ad certamina pertinentibus, qui nullo Doridis vestigio exornati sint, apparet; unde in singulorum temporum et uniuscuiusque victoris voluntate talia posita fuisse videmus.

Simili ratione, qua adulescentuli ἅβαν praedicatam esse agnovimus, etiam aliis in epigrammatis ad aliquam rem maiore vi atque gravitate proferendam singulae formae Doricae Ionicis titulis admixtae sunt; qualia exempla eam ob causam valde memorabilia sunt, quod, si in codicibus exstarent, nemo corrigere atque constantem dialecti usum restituere dubitaret. Etiam ex titulis qui depellerent olim exstiterunt: nunc ab omnibus interpretum coniecturis bene defenduntur a Kaibelio (cf. ann. ad. n. 30 al.). Ac proxime ab epigrammatum supra memoratorum condicione talia absunt, qualia inveniuntur in tit. Mysiae *n. 247* (I vel II saec.) in mediis formis vulgaribus:

ἐν γὰρ ἀγῶσιν
πολλάκις αἰνητὸν στέμμα πάλας ἔλαχον,

ubi recte Kaibel: 'nota formam Doricam rei convenientem'. Sic duobus in titulis Atticis ad solam virtutis significationem fortius efferendam formam Doricam consulto adhibitam esse apparet:

n. 30, 6 μηδοφόνων ἀρετᾶς μνωόμενος πατέρων.
n. 69, 1 ὦ τὸν ἀειμνήστου σ' ἀρετᾶς παρὰ πᾶσι πολίταις
κλεινὸν ἔπαινον ἔχοντ',

utroque enim loco de accusativo nullo modo cogitari posse recte perspexit Kaibel. Quibus tertium addo Spartanum (litt. ЄC)

n. 888 εἰκόνα λαινέην ἐρικύδεος ἀθλοθετῆρος
ἀντ' ἀρετᾶς στῆσεν.

Item in tit. *Rhodii n. 857* unum in versum ad patriae gloriam sollemniter celebrandam poeta formas Doricas intulit v. 2

Λίνδος ἀνέστασεν πρεσβυτάτα πολίων.

Simili ratione in tit. Neapolitano *n. 563* (II p. Chr. n. saec.) *Τρειναχρία γαία* formae Doricae in epigrammate Ionico admissae causam in Doricae insulae memoria positam esse haud inscite arbitratur Kaibel. — Neque minus Catilius poeta Alexandrinus summi imperatoris Augusti gloriam gravius ac magnificentius praedicare se non posse statuit, quam si carmen (*n. 978*, Philis inscriptum) Doricarum formarum apparatu exornaret:

Καίσαρι παντομέδοντι καὶ ἀπείρων κρατέοντι
Ζανὶ τῷ ἐκ Ζανὸς, πατρὸς Ἐλευθερίου,

quod idem cadit in Polyclis Delii eximiam laudem *n. 854* (cf. v. 2 *ὁ μυριέτης οὐ μαρανεῖ σε χρόνος*), qua in persequenda Dorica quaedam usurpaverunt eius cives.

Talibus artificiis saepius admissis denique eo pervenerunt epigrammatum poetae, ut Doricas formas quasi aptissimum carminum decus atque ornamentum praesto esse crederent, quod ex voluntate modo adicere possent modo omittere. Sic explicatur exemplum maxime ex omnibus memorabile tit. Cnidii *n. 204* (I a. Chr. n. saec.), cuius is est ordo, ut in quattuor partes inter se respondentes dividatur, quarum prima et tertia binis, secunda et quarta ternis constent distichis. Iam inspiciamus singularum partium vocalismum:

a: *τῆς σῆς ἡλικίης, ἡμῖν, ἠέλιον*
b: *εὐφροσύνης, ἁγνά, Ἅιδαν, ζωᾶς, ἁμετέρας*
c: *Λήθης, πανηγορίην, δύστηνε, χηροσύνην*
d: *σαοφροσύνας, τᾷ, ἀρετᾶς, ἐθέμαν, μνάμαν, ἀνάγκᾳ, ἠέλιον.*

Facile perspicis lusum a poeta institutum: nempe eis in partibus, quae bina continent disticha, dialectum Ionicam, Doricam in reliquis constanter adhibendam curavit; nam quae in his leguntur *εὐφροσύνης* et *ἠέλιον* aperta sunt lapidarii menda, quorum hic potissimum si quo alio loco benigne veniam dabimus. Similis ratio videtur epigr. Epirotici *n. 511* (sat rec. aet.) ita tripartiti, ut singulis distichis Doricis Ionicum carmen trium distichorum circumdatum sit.

3. *Dialectorum vestigia locum aliunde petitum indicant.* Epigrammatum poetas multos inscitissimos fuisse atque

ineptissimos ipsa quae elaboraverunt carmina satis dilucide testantur: qui autem, cum iustum distichon se omnino conficere non posse sentirent, tamen sollemni cultu vel suos vel deum celebrare cupiebant, ad ultimum illud refugium decurrebant, ut aliorum epigrammata suum in usum converterent. Quod nisi variis mutationibus illatis perfici non poterat, quoniam, quae ad uniuscuiusque peculiarem statum atque fortunam minus quadrabant, singulorum condicionibus adaptare opus erat. Sic ipsa imprimis personarum nomina inculcanda erant, transferebantur ad puellam, quae proprie ad puerum pertinebant, multaque incidebant alia, ex quibus unum et alterum commemorandi occasio posteriore quodam loco exsistet. Atque satis multae eiusmodi mutationes inde facillime perspiciuntur, quod complura epigrammata inter se similia ad nostram aetatem pervenerunt. Sed etiam in singulis carminibus certa contaminationis argumenta observantur, sive sententiarum conexus, sive metrica condicio, seu, quod hic accuratius perscrutandum est, formarum dialecticarum inconstantia offensam praebet. Ac valde gaudeo, quod hanc quaestionem ab uno licet exemplo repetere, in quo illam archetypi mutationem, qua ratione processerit, certissimo testimonio possumus demonstrare. Tit. dico Romanum *n. 1084* (a) II p. Chr. n. saec. non antiquiorem, qui Homeri in memoriam compositus sic incipit:

ἡρώων κάρυκ' ἀρετᾶς μακάρων τε προφήταν
'Ελλάνων δόξης δεύτερον ἀέλιον:

cuius epigrammatis archetypum, id quod iam pridem perspexit Franz (CIG. III n. 6092), nobis servatum est in carmine Antipatri Sidonii A. P. VII, 6

ἡρώων κάρυκ' ἀρετᾶς μακάρων τε προφήταν
'Ελλάνων βιοτᾷ δεύτερον ἀέλιον.

Iam qua ratione orta sit inconstantia dilucide apparet. Nimirum Aelianus ille, qui titulum insculpendum curavit (v. 6) praeter posteriorem epigrammatis partem etiam v. 2 mutavit ac pro βιοτᾷ scripsit — non δόξας, sed ut ipse eloqui assuetus erat — δόξης. Atque eam potissimum ob causam memorabile dico hoc exemplum, quod, nisi Anthologiae epigrammatis accederet

notitia, hanc formam vulgarem archetypi cuiusdam mutatione illatam esse ne in mentem quidem cuiquam venire posset, quoniam, quae in lapide leguntur, sententiam praebent satis planam ac perspicuam. Hoc exemplo certissimo confisi nostro iure etiam aliis in titulis dialecti inconstantiam simili ratione ortam esse suspicari possumus, ut in epigr. supra memorato *n. 511*. Nam cum singula disticha, quibus maius carmen circumdatum est, praeter mulieris mortuae nomen sensum communem praebeant et a versibus quidem interpositis, qui res plane diversas proferant, dilucide seiungantur, inter se autem artissimo sententiarum conexu cohaereant, equidem in unum epigramma eos contrahere non dubitaverim sic fortasse olim formatum:

Ἀντί σε κυδαλίμας ἀρετᾶς, πολυήρατε κούρα,
ἄγαγ' ἐς Ἠλύσιον αὐτὸς ἄναξ Κρονίδας,
– ◡◡ (nomen), *κλεινὸν ἄγαλμα, καὶ ἐν φθιμένοισι φανείης*
ὥσπερ ἐνὶ ζωοῖς κῦδος ὀπασσαμένα.

Quod in archetypum cum incidisset nostri epigrammatis auctor, primum nomen mutavit formamque vulgarem aoristi *ἦξεν* et praepositionem *εἰς* pro *ἐς*[1]) intulit, metrum ut solent recentioris aevi homines nihil curans, deinde sex versus illos immisit. — Simili ratione in epigrammate Cnidio *n. 785* (II vel I saec.) cum metrica indoles (habes enim duos pentametros singulis hexametris inclusos), tum dialecti formae

v. 1. *Κούρᾳ Δάματρι*, v. 2. *Χρυσογόνης μήτηρ*,
v. 3. *Χρυσίνα ἐννυχίαν, ἱεράν*, v. 4. *Ἑρμῆς στάθμη*

suadere mihi videntur, ut brevius archetypum duobus versibus ab auctore auctum esse statuamus:

(v. 1.) *Κούρᾳ καὶ Δάματρι οἶκον καὶ ἄγαλμ' ἀνέθηκεν*
(v. 3.) – ◡◡ (nomen) *ἐννυχίαν ὄψιν ἰδοῦσ' ἱεράν.*

Aliis carminibus singula tantum frustula alienorum epigrammatum admixta sunt. Etenim multi loci communes, singulae formulae, nobilissima exempla etiam atque etiam talibus in poematiis repetuntur, quae sive omni sive magna ex parte ver-

1) Lapicidae simile vitium vide n. 155 v. 4 (Kaib. annot.).

botenus ex alius poetae carmine poterant transferri. Pleraque iam Kaibel aliique recte perspexerunt. Certissimum exemplum etiam ratione metrica firmatum (duo enim pro uno pentametro distichorum ordinem perturbant) exstat *n. 367* (Cotiaei)

v. 5. *ἀλκυονὶς γοεροῖς δάκρυσι μυρομένα*

(praeterea v. 6 *μάννε*). — *n. 149* in epigr. Rheneae litt. vulg. inciso:

v. 2. *ἀελίου γλυκερὴν λεῖπον ἐπ' ἐσχατίην*

n. 334. Ilii Novi (litt. vulg.)

v. 12. *πολλὰ δ]ὲ καὶ μάτηρ με ὠδύρετο ὃν κατὰ οἶκον.*

n. 246 in epigr. Bithynico perbonae aetatis

v. 7. *μήτηρ δὲ ἐν οἴκοις ἁ τάλαινα ὀδύρεται.*

In tit. Aquileiae in mimae cuiusdam honorem posito *n. 609*

v. 2. *δόξαν φωνάεσσαν ἐνὶ σκηναῖσι λαβοῦσαν*

sive ex alius histrionis titulo sepulcrali sive ex universo sermonis tragici usu ac tenore assumptum esse quis non perspicit? Cf. praeterea n. 621 *θνατοῖς* et n. 646, 8 *τεθνακώς* (contra v. 5 *τεθνηκότες*).

4. *Epigrammata, quorum dialecti certa explicatio erui non poterat, perlustrantur.*

Propter totius rei ambiguitatem multorum epigrammatum rationem dialecticam inexplicatam remanere iam initio monuimus: quae singulorum condicione breviter exposita enumerare non supersedemus, ne plura quam revera contigit expedivisse videamur.

n. 853 (Ath., saec. II a. Chr. n.) epigr. arte quaesitiore ut monet Kaibel compositum miram praebet dialectorum confusionem v. 2 *φαμί,* v. 3 *ἰητρῶν,* v. 4 *ψυχῆς,* v. 5 *ἁμερίοισι,* v. 7 *τέχνας.*

n. 97 (Ath., saec. III p. Chr. n.) in servulae cuiusdam *Εὐρυάνθη Ἀρίστωνος ἐξ Ἀχαρνέων* memoriam inscriptum v. 1 *γραπτάν,* v. 4 *μανύων,* v. 6 *ἴσην,* v. 8 *φθιμένην.*

CIA. III 2, 1416 (litt. ornatae) *μανύει, μορφᾶς: πενθαλέην, μοιριδίη.* Defuncti nomen non commemoratur.

n. 208 (Thasi in insula, II fere p. Chr. n. saec.):

a v. 1 *ἥρπασε,* v. 2 *τριτάτην,* v. 3 *δόξας,* v. 4 *Ἀίδης,* v. 5 *μάτηρ,* v. 6 *τᾷ λιπόμαν,* v. 7 *Τύχα,* v. 8 *τλάμονα*

b[1] v. 10 *Εὐρυμενίδην, μόνα διπλόα*, v. 14 *'Αίδαν*, v. 15 *ματρί*, v. 16 *ἅ*, v. 17 *δόξας, ἕκατι*, v. 18 *τιμᾶς*

b[2] v. 22 *τλάμονες*, v.23 *γένναν*, v.24 *φθιμέναν*, v. 25 *μάτηρ*.

Iam vides, quid memorabile sit: nimirum poeta, initio quidem vulgari dialecto usus, deinde consilio mutato ad formas Doricas aperte transiit, quas praeter nominis *Εὐρυμενίδης* mentionem usque ad finem servavit.

n. 218 (loci incerti) ubi in memorabili dialectorum confusione iam Boeckh offenderat: v. 6 *ζωᾶς*, v. 10 *φίλᾳ*, v. 11 *τρισσᾶς*, v. 12 *γονάν*, v. 4 *φθιμένην*, v. 5 *τήνδε*, v. 6 *μνῆμα*, v. 16 *τήνδε*, v. 18 *γῆς*.

Bull. de corr. Hell. 1880, p. 287, tit. Parii permixtae dialecti causam non perspicio; nam mulieri positus est, quam *ἁ Μύκονος ἔθρεψεν πάτρα*.

Bull. de corr. Hell. 1879, p. 326, tit. Chius litt. vulg. Dorice conscriptus.

n. 230 Erythris (litt. vulg.) Doricum praeter pauca. Hominis aquis submersi patriam ipsam Euboeam fuisse patet ex v. 2 sq.

n. 222 b Mileti: Doridis usus in epitaphio tragoediarum poetae et philosophi.

n. 228 a Ephesi Dorice conscriptum. (Personarum nomina desunt.)

n. 244 prope Cyzicum (litt. vulg.) E. Curtii sententiae, qui ex Dorici sermonis usu concludit ex Dorica quadam civitate Cyzicum Maeandriam transmigrasse, iure, ut mihi videtur, Kaibel servatam nominis formam Ionicam *Μαιανδρίη* v. 5 opponit.

n. 250 Panticapaei (saec. I a. Chr. n.). Sepulcrum mulieris Bithynicae (v. 3) *Κλεο[νίκ]α*.

n. 295 Icariae in ins. (saec. I v. II p. Chr. n.) pueri duodecim annorum epitaphium fortasse ex titulorum ephebicorum imitatione Dorice scriptum.

n. 298 a Smyrnae (Mus. Rhen. XXXIV) plenam habes confusionem *τῆς, στήλαν, γενεῆς, πεμπτᾷ* (bis), *ἦμαρ, μαῖα, κόρη, βιοτάν*.

n. 313 inter Smyrnaea tradit. infim. aet. v. 1 *δμωάν, τήν*, v. 2

Ἀίδην, ἀπερχομέναν, v. 3 *ἀπόδημον*, v. 5 *ἔτλη, στήμεναι*, v. 6 *ἔβης, ἐσθομένα, Ἀίδαν*, v. 11 *τιμήεντα*, v. 12 *Ἀίδην μνημοσύνης*. Recens aevum perturbationem excusat.

n. 538 circa Theudosiam eff. (II fere p. Chr. n. saec.) plena perturbatione insigne.

n. 706 Aquileiae (*τέξε δόμος Γαλατῶν*).

n. 859 in epigr. Ionico (ut Ionicam decet urbem) leguntur v. 6 *γηθοσύναν*, v. 7 *περίσαμε* consulto fortasse ab auctore illata.

n. 1080 et 1081 prope Ilium Novum in heroum Homericorum gloriam Dorice composita.

Etiam in titulis *Romanis* singula quaedam Doridis vestigia reperiuntur, quae ex suae aetatis more poetae exornandi causa epigrammatis admiscuerunt.

n. 556 (saec. I vel II p. Chr. n.) *ἐπισταμέναν*.

n. 562 (saec. II vel III) v. 2 *ζωᾶς, φίλαν*.

n. 674 (eiusdem aet.) v. 6 *πένθει τακομένῃ*.

n. 691 (prope viam Ardeat.) *Ἀίδαν*.

Doridis constantem fere usum habemus *n. 805 a* (saec. II). Huc accedunt tituli Pompeiani, ex quibus *n. 1103* constantem, *n. 1104* rarum formarum Doricarum usum praebet.

Restant tituli *Aegyptii*, de quibus certum iudicium ferre difficile est, quoniam maxima ex parte insculpti sunt aut statuarum fundamentis aut templorum parietibus a viatoribus, qui ad visitandam celeberrimam hanc terram undique confluebant.

n. 980 (Philis) Catilii poetae, quem ante cognovimus, Dorica praeter formam *ἀ[νιη]ρός* v. 8, simodo recte suppleta est.

n. 985 (ibid.) Iuni Sabini, Dorica praeter *ἐθα]υ[μασ]άμην*.

n. 986 (ibid.), ubi in ultimo versu leguntur:

ῥηιδίως Μέ[μνων] ἐκ γαίης ἆχον ἵ[έντι].

n. 987 (Thebis) *Λατοίδα*. *n. 1023* (Talmi) *Λατοῦς γόνε*. *n. 1117 b* *Λάδα*.

Haec de Dorica dialecto sufficiant: quibus si non omnia potuimus expedire, tamen teneamus ex recentioribus potissimum exemplis haud pauca ita esse comparata, ut Doricarum formarum certam rationem ne quaerendam quidem esse appareat.

Cap. II.

De dialecto Ionica.

Quamquam formas Ionicas, ut epigrammatum proprias atque genuinas, ubique exspectabimus, tamen etiam in huius dialecti usu satis multa restant notatu digna.

1. Iam primum in differentiam Ionici et Attici sermonis inquirendum est. Omnia autem exempla, in quibus sive poetae sive lapicidae pro Ionica η Atticam vel vulgarem ᾱ adhibuerunt, colligere operae pretium non est, cum certam earum rationem nullo modo investigari posse vel inde perspicias, quod etiam in verbis artissime inter se coniunctis alterum Ionice alterum Attice formatum est. Quam ob rem pauca huius inconstantiae exempla memorasse satis sit.[1]) — *n. 152* (Athenis, II p. Chr. n. saec.) v. 1 *Κεκροπία*, v. 2 *πατρίας*, v. 5 *αἶσα*, v. 8 *ἡλικίας*, v. 9 *ἀνδρηίου*, v. 10 *παιδείᾳ καὶ σοφίῃ*, v. 13 *ζωῆς χήρας*, *Λευκείας*, v. 15 *κούρην*, v. 16 *βαιήν*, *ἀγλαΐης*, *n. 703* (Romae II vel III saec.) v. 2 *Συρίης ἀπὸ γαίης* et v. 3 *γαία*. — Etiam *recentioris* quem vocant *Ionismi* pauca vestigia reperiuntur, ut *κρέσσων* in tit. Attico V fere saec. p. Chr. n. 170 et Thebano II p. Chr. n. saec. n. 498; *Ναόλοχον*, *λεοκοῖς* in tit. Prienae IV vel III saec. n. 774.

Iam ad lapicidas transeamus, qui Doricum archetypum formis Ionicis illatis perturbarunt. Antiquissimum autem quod exstare videtur exemplum *n. 26* ambiguum est. Nam cum Attici sermonis sola haec exstent vestigia v. 4 *δήμῳ* v. 5 *Ἀθηναίων*

---

1) Memoratu dignum videtur Kockium (ann. ad Ar. nub. 614) etiam optimae aetatis sermoni Attico certorum quorundam nominum formas Ionicas vindicandas esse concludere ex tribus locis Aristophaneis nub. v. 614 *Σεληναίης*, v. 989 *Τριτογενείης*, eq. v. 763 *Ἀθηναίῃ*. Atque hoc quidem loco, quo codd. VM (Velseni) *ἀθηναία* perhibent, forma in -η propter antecedentium verborum similitudinem *τῇ δεσποίνῃ* librario fortasse minus curioso debetur, antecedentis autem loci auctoritas scholio firmatur *ἐν δὲ τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων ʻἀμέλει τῆς Τριτογενείηςʼ εὕρηται.* Equidem omnibus hisce locis non nimis confidendum esse censerem, nisi pauca accederent certa inscriptionum testimonia (cf. Wecklein, Cur. epigr. p. 11 sq.), ex quibus vetustate eminet CIG. n. 526.

v. 6 *Ἀθήνας*, in medio relinquam, nonne praeter ipsorum Atheniensium nomen etiam populi usitatam significationem non tam a lapidario quam ab ipso poeta consulto illatam esse rectius statuamus. Eadem ratio est tit. *n. 250* (Panticapaei) *Ἀμίσου πολιῆτιν*. Atheniensium urbis nomen commune habes in Socratis poetae tit. *n. 845*. Ad nominum formas praeterea pertinent in tit. Smyrnaeo *n. 234* *Σμύρνης* et in Arcadico *n. 481 a* (Mus. Rhen. XXXIV) *Ἀρκαδίης*.

n. 222 Amorgi. *σήματι τίμησε*.
n. 222b Mileti. v. 1 *τῆς* v. 11 *κουφή*.
n. 230 Erythris. *μήτηρ δ' ἡ*.
n. 231 Chii. *ἐφηβείαις*.
n. 244 Cyzici. v. 1 *εὐνῆς* v. 4 *Τύχη* v. 5 *Μαιανδρίη* v. 7 *μνῆμα* v. 8 *ἔκδημος*.
n. 852 Athenis. *ἥνδανε* (et in subscr. *Εὐβουλίδης*).
n. 853 Athenis. *ψυχῆς* (praeter *ἰητρῶν*).
n. 957 Athenis. *φιλίης μνημόσυνον*.

Apertissime autem eis in locis lapidarii neglegentia agnoscitur, quibus ad singula eiusdem vocis exempla pertinet dialectorum confusio, ut *n. 223* v. 3 *λήθης* v. 6 *δήμῳ* v. 9 *δάμῳ* et n. *560*, v. 4 *σαοφροσύνας* v. 12 *σωφροσύνην*.

In eis Ionici sermonis vestigiis tractandis, quae ab Ionibus alienis in terris monumenta posita esse comprobant, proficiscendum est a Kirchhoffii commentatione supra laudata. Nam cum reliqua epigrammata Attica vetustioris aetatis integrum servent sermonem Atticum, omnia, quae Ionicis formis illatis ab hac ratione recedant, ad homines ab Ionica quadam civitate oriundos referenda esse optime demonstrat. Spectant haec ad *n. 13* (saec. VI), ubi verba *γῆς ἀπὸ πατρωίης* et n. 752, ubi *φιλοξενίης* mentio homines externos indicant. Alias quasdam inscriptiones Atticas recentioris aevi, quae per se eandem admittant explicationem, hisce addere non audeo, quoniam illis quidem temporibus eam quam in antiquissimis observavit Kirchhoff dialecti constantiam iam pridem evanuisse modo vidimus. — Contra aliarum regionum in epigrammatis interdum ex nominum formis certa fit conclusio de hominum patria. Sic *n. 464* (saec. I sive a. sive p. Chr. n.) ex nomine *Ἄκτη*

facile suspicamur Atticam vel Ionicam mulierem in matrimonium ductam esse ab homine Argivo, cuius nomen quamvis ignoremus tamen in -*ας* exiisse patet ex servato praescripti frustulo. In epigr. Macedonico *n. 514* miram nominum diversitatem

v. 1 *Ἁδίστας Μενέδημος ἔην πόσις*

ita facile expedimus, ut Hedistes natae in Pelasgiotide (v. 3) maritum hominem Ionicum fuisse statuamus.

2. *Medicos* posterioris aetatis Ionicarum formarum usu delectatos esse praeter inscriptiones testis exstat locupletissimus *Lucianus* (excitatus a Kaibelio), *πῶς δεῖ ἱστ. συγγρ.* c. 16, ubi medicum historiam conscribentem sic illudit: (*τοῦτο ᾐτιασάμην αὐτοῦ*), *ὅτι ἀρξάμενος ἐν τῇ Ἰάδι γράφειν οὐκ οἶδ' ὅτι δόξαν αὐτίκα μάλα ἐπὶ τὴν κοινὴν μετῆλθεν ἰητρείην μὲν λέγων καὶ πείρην καὶ ὁκόσα καὶ νοῦσοι, τὰ δ' ἄλλα ὁμοδίαιτα τοῖς πολλοῖς καὶ τὰ πλεῖστα οἷα ἐκ τριόδου.* Causa huius moris in propatulo est: Ionica enim dialecto Hippocrates eiusque omnes pedisequi et imitatores usi erant eis in libris conscribendis, qui artis medicae fundamenta per multa saecula remanserunt. Sed etiam, si Luciani locus nobis non servatus esset, tamen in titulis sat copiosa huius moris testimonia haberemus. Cum autem constantem Ionici sermonis usum ne in hisce quidem inscriptionibus inveniamus, totam materiem, quo facilius huius consuetudinis rationem perspicias, ex epigrammatis congerere iuvat ac disponere.

Primum igitur ea colligenda sunt epigrammata, in quibus Ionicae dialecti usum aut praevalentem aut constantem animadvertimus. Ut ab exemplo prae ceteris memorabili incipiamus, tit. memoro *n. 202* (saec. I vel II p. Chr. n.) Coi in ipsa Hippocratis patria effossum. Qui cum duabus ex partibus constet, in priore quidem, ubi nescio quis viator Melanthium medicum laudibus prosequi fingitur, formae adhibentur vulgares *ἰατρῶν* al. (praeter *Ἀίδας*, quod Dorico lapidario debetur), in posteriore autem, ubi ipsum laudem suam praedicare indicant verba praescripta *Εἰς ἑαυτόν*, statim Ionicam legimus formam *ἰητῆρα*. Tres accedunt tit. Athenienses:

n. 107 (I sive a. sive p. Chr. n. saec.) *εἰητῆρα νο[ύσων, ἄγευ.*
n. 108 νούσων, εἰη[τῆρα.

n. 109 (saec. III p. Chr. n.) *νηοῖο, στυγερῇ, ἰητῆρος.*
n. 243 (saec. II p. Chr. n.) in tit. Pergameno praeter *ἰητρῶν* v. 3, *ἰητορίης* v. 10 et 27, *νουσο..* v. 11 multa leguntur vulgaria. [1])
n. 289 Cariae tit. (I p. Chr. n. saec.) *ἰητῆρα, ὁμηλικίης.*
Tres tituli Smyrnaei *n. 305* (II p. Chr. n. saec.) *ἰητρείην* (contra in subscriptis sequitur *ἰατρικά*).
n. 306 *ἰητῆρα,* subscr. *ἰατρός*
n. 314, quem titulum ineptissimum omnium, quibus deinceps affligebatur puer, morborum enumeratione taeterrima refertum a medico compositum esse recte suspicati sunt viri docti, neque Kaibelii argumentum, qui doctiores fuisse saec. III medicos monet, quam ut tantas ineptias eis tribuere liceat, parum illud quidem certum ac definitum, satis valet ad huius coniecturae probabilitatem delendam.
n. 473 tit. Spartanus, Luciani fere aequalis: *Λυκαονίη, ἰητορίης.*
n. 483 Delphicus (II p. Chr. n. saec.) *ἰητροῦ.*
n. 507 Thessalicus (saec. III) *ἰήτορα νούσων, μοίρῃ.*
Tres tituli Romani: *n. 554* Claudii Agathemeri Persii poetae sodalis, quem Lacedaemonium fuisse scimus: *ἰητήρ, παντοίης.*
n. 593 (saec. II p. Chr. n.) *ἰητῆρος, παιδείης ἱερῆς.*
n. 594 (IV. fere saec.) *τραφερῇ, εἰητήρ.*
Accedunt epigrammata a medicis quibusdam in uxorum mortuarum honorem inscripta.
n. 558 (Romae, II fere saec.) *μιστέρην, προτέρην* sim. *ἰητήρ* (contra v. 7 *ἰδίαν* ex insequentis nominis *Φηλικίταν* similitudine).
n. 596 (Ravennae, saec. II v. III) *ἰητρός, παννστατίην* al.
Denique etiam ex titulis, quos homines morbi cuiusdam impetu liberati ac sanati medicis exstruxerunt, unus, *n. 853* (II a. Chr. n. saec.) ceterum Dorice conscriptus (cf. praeterea p. 22) solam formam *ἰητρός* adhibuit, duo alii, Corinthius *n. 885* (litt. vulg. praeter C) et Atheniensis *n. 886* (recentioris aevi) Ionicam dialectum argumenti gratia usurpaverunt. — Iam si haec

1) Animum in singulis perlustrandis attendas, quam recte Lucianus horum potissimum verborum exempla attulerit.

omnia exempla perlustramus, fere nullum Christi aetatem vetustate superare videmus.

Unde, si ad medicorum titulos, qui ab Ionici sermonis usu abhorreant, transimus, sequitur, ut nihil omnino ad nostram quaestionem pertineant epigrammata quaedam multo antiquiora (IV vel III a. Chr. n. saec.) Atheniense *n. 45* et Cyprium *n. 254*, quorum alterum Attica alterum Dorica dialecto utatur. Itaque haec tantum restant exempla communis graecitatis: *n. 352* Claudiopolis (II p. Chr. n. saec.), duo Thessalici Triccae *n. 506* (saec. I sive a. sive p. Chr. n.) et prope Dolichen *n. 509*.

n. 537 in tit. saec. II. Tomis eff. miram deprehendimus dialecti confusionem, quamquam Doricae formae haud dubie praevalent.

n. 717 Catanae, sat recentis aetatis.

n. 725 Augustoduni (tit. Christianus).

Sepulcralibus hisce inscriptionibus adiungo medici Romani epigramma dedicatorium *n. 805 a*, cuius altera pars Doricas formas praeter *σοφίης*, altera Ionicas praeter ipsam vocem *ἰατρός* perhibet. — Apparet igitur pauca tantummodo exempla remotiorum potissimum regionum a communi usu Ionicarum formarum in medicorum titulis recedere.

3. Pauca *de epigrammatum imitatione Homerica* monenda sunt. Ac primum quidem non desunt poetae ineptissimi, qui ex centonibus Homericis totum epigramma misere consuerint. Talia carmina exstant in Memnonis statua n. 1009 elaboratum ab homine, qui *Ὁμηρικὸν ποιητήν* sese esse ipse gloriatur, n. 999 et magna quidem ex parte n. 998 (cf. Letronnium in Kaibelii ann.) et n. 649.[1]) Magis etiam ridicule in quibusdam carminibus panni Homerici undique congesti personarum nominibus mirum in modum interrumpuntur ut n. 660. — Sed cum istae similesque ineptiae intra angustos terminos contineantur, contra perpauci inveniuntur epigrammatum poetae, qui ab imitatione Homerica prorsus se abstinuerint. Quid autem facilius accidit, quam ut cum ipsis formulis Homericis etiam sermonis epici vestigia in carmina inferrentur? Sic legitur:

n. 103 in tit. Dorico Euboeae *οὐχ ὁσίη*.

1) Cf. A. P. IX, 381, 382.

n. 504 Triccae in mediis formis Doricis πόλλ' ἐποδυρομένη.
n. 537 in Dor. tit. habes formulam καὶ ἐσσομένοισιν ἀκούην bis, quam consulto a poeta ex usu Homerico translatam esse credes, quoniam praeterea memorabilis est epitheti Homerici sat mirus usus: ἐυμελίαο Τόμοιο.
n. 1081 in Hectoris laude praeter τέχνα legitur: ἀμύντορα πατρίδος αἴης.
Denique, quae in Doricis titulis *n. 191* (Therae) et *201* (Coi) solae inveniuntur exceptiones Αἰακίδην et γηραλέην, haud dubie a memoria epica repetitae sunt.[1])

Formarum Homericarum ex alio quodam epigrammate translatarum dilucidissimum exemplum praebet *n. 248*. Huius enim tituli archetypum in epigr. Antipatri Sidonii A. P. VII, 164 exstare recte perspexerunt editores. Cuius ex v. 1 formam γε]ν[ε]ήν in lapide bene restituerunt viri docti, praeterea habes παρθενίης v. 8, νεότητι v. 11, πολιῇ τριχί v. 13 (sic enim etiam in Anthologiae epigrammate scriptum fuisse vel inde probatur, quod quamnam intellegamus ἱερὴν τρίχα vix quemquam puto expediturum esse), Τύχη v. 14 (lapidis). Una igitur restat forma Ionica in epigr. Phrygio ὀρφανίη (v. 12), quam ex reliquarum archetypi formarum in -ιη similitudine (παρθενίης, ποίην, ἡλικίην, πολιήν) Aethalum illum recepisse facile nobis persuadebimus. Reliqua autem omnia, quae in lapide inveniuntur dialectorum vestigia Ἀίδαν v. 2, στήλλαν v. 15, τὰν αὐτὰν μοῖραν, ut iam Kaibel annotavit Dorica sunt. Omnia igitur quae de suo addidit homo ille Phrygius, Doricum sermonem — non dixerim exprimunt (propter στήλλαν) — sed imitari student. — Aliud exemplum, si quid recte sentio, non minus certum, etiamsi archetypi nihil servatum sit, exstare mihi videtur in *n. 481 b*, tit. Thyrii Acarnanum in oppido effosso (Mus. Rhen. XXXIV p. 187). Quod Kaibel annotavit extremum distichon, cui poetae inscitia pro rerum necessitate

---

1) Talibus inscriptionum testimoniis etiam formarum quarundam Homericarum, quae Theocriti in codicibus leguntur, confirmatur auctoritas, ut
IV, 8 φαντί νιν Ἡρακλῆι βίην καὶ κάρτος ἐρίσδειν cf. Od. σ 139.
VII, 107 Ἀρκαδικοὶ σκίλλαισιν ὑπὸ πλευράς τε καὶ ὤμους cf. Il. Ψ 716.

v. 8 metricum vitium intulerit foedissimum, ex meliore et antiquiore exemplo sumptum se putare, ad huius epigrammatis difficultates tollendas minime sufficit, cuius veram rationem equidem facile perspici posse confido, simodo singulas formas dialecticas diligenter perlustraverimus:

Πατρὶς μὲν Κασσώπα, πατὴρ δέ μοι ἦν Μενέδαμος
μάτηρ δ' ἐξετέκνωσεν Ἀριστοκράτει' Ἐχενίκαν·
δισσὰ δὲ τέκνα λιποῦσαν ὁ παντοβόρης λάβεν Ἅιδης
ἄκριτον ἀστόργου θηρὸς ἔχων κραδίην.
ἀνδρὶ δὲ τέκνα ἔλιπον Λυσιξένῳ ἠδὲ γονεῦσιν
ὀρφανὰ ταῦτα τρέφειν ματρὸς ἔρημα νέας·
ἁμετέραν ἀρετὰν οὐ φθέγξομαι· ἃ γὰρ ἀτέρμων
πᾶσα τῆς Ἠπείρου γαῖα φέροπλος ἐρεῖ.

Iam primum, ultima proprie huc pertinere non posse per se patet: quid enim *γαῖα φέροπλος* potissimum matris praemature defunctae virtutem praedicet, nemo facile perspiciet: sin autem ad dialectorum vestigia animum advertimus, non tam extremum distichon, quam solum ultimum versum alio ex carmine translatum esse suspicamur. Quod cum nimis abruptum fortasse ac minus probabile per se videatur, gaudeo equidem, quod ipsa verborum structura firmatur, quae tam impedita est (*ἃ ἀτέρμων πᾶσα γαῖα φέροπλος*), ut vix genuina huius loci esse possit. — In priore autem carminis parte totus locus de Plutone v. 3 sq. *ὁ παντοβόρης — κραδίην* alienam originem aperte profitetur: num etiam verba *δισσὰ δὲ τέκνα λιποῦσαν* addere liceat, ut totum distichon ex alius cuiusdam matris epitaphio, diverso illo quidem ab ultimi versus archetypo, assumptum statuamus, disceptare non audeo. Quod enim legitur v. 5 *ἀνδρὶ δὲ τέκνα ἔλιπον* adeo non respicit ad v. 3 initium, ut secundo disticho prorsus sublato non modo nihil desideretur, verum etiam artior exsistat ac melior sententiarum conexus. — Contra sat incerta videtur Kaibelii suspicio (Herm. VIII p. 426) qui epigr. Tanagraeum *n. 496* propter formarum dialecticarum inconstantiam ex Ionici cuiusdam carminis imitatione profectum esse censeat.



II.
DE LABENTIS GRAECITATIS INDICIIS.

Cap. I.
De recentioris vocalium pronuntiationis initiis.

Cum lingua Neograeca, communis scilicet non scribendi sed loquendi usus, et in qualitate et in quantitate vocalium longe recedat ab antiqua graecitate, inscriptiones posterioris aevi testes exstant locupletissimi sed minus adhuc, quam par erat, a viris doctis pertractati, quo tempore quaque ratione istae depravationes in veterum Graecorum usum paulatim irrepserint atque in dies magis increbruerint. Iam cum epigrammata, ut p. 6 exposuimus, aptissimam praebeant materiem, unde talis quaestio ordiatur, eorum exemplo vulgaris graecitatis initia ac progressus illustrare nobis proposuimus, ut tandem aliquando quam falsae adhuc vulgo circumferantur opiniones[1]) de hodiernae graecitatis originibus, accuratius demonstretur.

Vocalium qualitatis mutationes, quae recentioribus in titulis non minus quam in libris manuscriptis animadvertuntur, fere omnes uno nomine complecti solemus *itacismi*. Quem cum in Neograeco sermone, accedente quantitatis perturbatione, id effecisse videamus, ut litterarum *ι, η, ει, οι, υ* una eademque exstet pronuntiatio per i, itemque litterarum *ε* et *αι* per e (cf.

1) Haustae illae quidem ex Mullachii libro: Grammatik der Griech. Vulgärsprache. Berlin 1856, qui cum materiam congesserit satis copiosam, in explicationibus mirum quantum hariolatur. Nostra memoria harum rerum tractationis initium nostro saeculo dignum fecerunt Deffner variis commentationibus et Foy, Lautsystem des Vulgärgriechischen. Leipzig 1879, qui vir doctus universam vulgaris graecitatis grammaticam se tractaturum esse nuper promisit. Cum utilissimus Blassii libellus: Die Aussprache des Griechischen[2] iam absoluta hac commentatione in manus nostras pervenerit, satis habuimus singulis locis huius libri mentionem infra addere.

Foy, p. 83 sqq.), inscriptiones nostrae harum potissimum depravationum exempla praebent, ut ι scribatur pro ει, interdum etiam pro η, atque ει pro longa, interdum etiam pro brevi ι, ε pro αι atque αι pro ε, υ pro οι atque rarissime οι pro υ.

Ad explicandas hasce omnes mutationes proficiscendum est a diphthongorum natura. Nam ut inde ab antiquissimis temporibus, quae quidem inscriptionum testimoniis assequi possimus, Latinam linguam id appetere videmus, ut in monophthongos extenuentur diphthongi, ita ab eodem fere aevo eandem mutationem etiam Graecum sermonem perturbasse observamus. Unde factum est, ut in vulgari pronuntiatione rarius primum atque singulis quibusdam in vocibus, deinde in dies frequentius diphthongus ει in similitudinem longae ι abiret, deinde etiam ε pro αι et rarius υ pro οι proferri inciperet. Harum mutationum primordia non ad universam graecitatem pertinent, sed in singularum dialectorum, Boeoticae imprimis[1]), peculiari usu posita sunt. Atque ubi primum pronuntiationis haec inconstantia in scribendi usum transire coepit, fieri non potuit, quin interdum etiam ει pro ῑ, αι pro ε, οι pro ῡ scriberetur. Denique accedente qualitatis corruptione eo progressa est vacillatio ut etiam brevis vocalis ι per ει exprimeretur.

Nos autem ex epigrammatis, quamvis quaestionem de itacismo ex solo horum usu pertractato ad liquidum perduci non posse haud ignoremus, omnia vestigia colligendi operam subire non dubitavimus, quia quae universa sit ratio ac frequentia singularum mutationum, vel ex hisce satis dilucide perspici confidimus. — Ac primum quidem, ut totius rei summam statim praecipiamus, constantem itacismi usum fere nusquam animadvertimus. Nam cum breviora carmina, quae intra paucorum versuum spatium uni tantum duobusve singularum mutationum exemplis locum praebeant, ad usus constantiam cognoscendam nihil valeant, inscriptiones paulo maiore ambitu conspicuae meram produnt fluctuationem in singularum litterarum singulis locis scriptura, et eam quidem, ut nullam omnino huius consuetudinis regulam reperiri posse perspicias. Quantopere enim

1) Cf. Meister, Zur Chronologie des boeotischen Vocalismus in Fleckeiseni ann. CXIX p. 513 sqq. et Die griech. Dial. I p. 217—242.



de certa ratione investiganda desperandum sit, vel inde apparet, quod idem in eodem epigrammate vocabulum modo hac modo illa ratione exprimitur. Sic legitur n. 874, v. 2 *Τισαμενοῦ*, in praescriptis *Τεισαμενοῦ;* n. 1028 *Εἶσις* v. 7, 15, 26: *Ἴσις* v. 68, *εἰθύνεσκον* v. 32: *ἰθύνω* v. 52, *ἰθύνεσκον* v. 63; n. 530 *εἰμεί* v. 1: *εἰμί* v. 2; n. 271 *τέρπομε* v. 1, 3: *τέρπομαι* v. 5; n. 663 v. 4

εἵνεκεν ἠθίας, εἵναικά τ' ἀγλαίης.

Quamquam dubitari non potest, quin alia similis inconstantiae exempla non tam ipsi carminis auctori, quam lapidarii vulgarismo assignanda sint. Etenim non modo locorum ac temporum diversitas respicienda, sed etiam, quod ad omnes de hisce epigrammatis quaestiones aequabiliter pertinet, propria uniuscuiusque epigrammatis condicio atque indoles diligenter examinanda est, ut quanta cuique poetae vitia tribuere et quasi condonare possimus eluceat. Nimirum si in hominem incidimus indoctum aut omnino sermonis Graeci minus gnarum, ut habemus in tit. Attico n. 96 Phoenicem Graece balbutientem (verba sunt Wachsmuthii), huic ipsi omnia quae in eius carmine exstant peccata adscribere non dubitabimus. Contra si in titulo melioris aetatis diligenter composito pauca quaedam depravationis vestigia reperimus, in eis, ut librarii in codicibus, sic in titulo lapidarii neglegentis manum agnoscemus: Quod in longioribus carminibus exemplorum raritate certissime comprobatur, ut Herodis Attici viri clarissimi poema, quod centum fere versus amplectitur, sola haec perhibet itacismi vestigia n. 1046 *ἰ* v. 40, *σίσασα* v. 75; *Φαυστείνῃ* v. 48, *πείονα, τειμήσατε* v. 63 (contra per *ι* scriptum v. 34, 51, 54, 81, 92), *εἵστωρ* v. 88; *ἀτρεῖες* v. 77, *νειόν* v. 96 (contra *νηόν* v. 1, 46), quae lapicidae Romano Graeca vocabula male pronuntianti nemo non assignabit. — Hisce praemonitis ad singula perveniamus itacismi genera accuratissime inter se separanda, nam vehementer erraverit, si quis haec omnia quasi uno impetu in linguam Graecam invasisse suspicetur: immo vero litterarum usu graviter resistente aliae mutationes aliis serius atque rarius ex sermone vulgari in inscriptiones cunctamque scribendi rationem intraverunt.

I. EI.

Mutationum, quae cum hac diphthongo aliqua rătione cohaerent, exempla cum vetustate tum frequentia ceteras longe superant. Atque antiquissima inveniuntur vestigia in dialecto Boeotica, quae inde a primo recentioris alphabeti usu in Attica diphthongo *ει* per simplicem *ῑ* exprimenda sibi constabat, cum pauca etiam in antiquioribus titulis reperiantur exempla (cf. Beermann, Curtii Stud. IX p. 36). Epigrammata autem Kaibelii in titulis CXIII scripturae *ῑ* pro *ει* singula praebent exempla CLXVI, contra diphthongi *ει* pro *ῑ* adhibitae ex titulis CCLXXX exempla collegi CCCCXX. Quibus ex titulis XXXII tantum utriusque mutationis exempla coniuncta praebent. Ac prioris quidem mutationis antiquissimum invenio exemplum in tit. Attico III fere saec. a. Chr. n.[1]) n. 95 *ἄπιμι*, quamquam ipsa praescripta *Μινακὼ Λίβυος χρηστή* admonent, ne nimium ei tribuamus recedenti a peculiari hominum Atticorum pronuntiatione. Eidem saeculo assignatur primum quod exstare videtur vestigium scripturae *ει* pro *ι*, tit. Att. n. 40 *ἔτεισε*; sed de hoc similibusque verbis non minus quam de antiquissimorum titulorum scriptura *Ποτείδαια, συνμείξας* statim dicendum erit. — Ceterum, id quod facile exspectaveris, Atticis potissimum in titulis multo rarior invenitur itacismi usus, quam in externarum regionum ut Italiae Syriae Pamphyliae Aegypti inscriptionibus. Nam ex trecentis fere Atticorum epigrammatis, quae Kaibel collegit, XXXIII tantum investigavi hisce mutationibus praedita.

Iam si utriusque mutationis exemplorum summas[2]) inter se comparamus, iure miramur, quod multo maior eorum numerus evadit, quae *ει* pro *ι*, quam quae *ι* pro *ει* perhibent. Quoniam enim a diphthongorum mutatione totam perturbationem originem duxisse vidimus, contrarium eventurum esse exspectamus. Quam difficultatem satis magnam ut expedirent, viri

---

1) Antiquissima quae protulit G. Meyer (Gr. Gr. § 113) exempla finem II a. Chr. n. saec. non superant. — Blass[2] p. 51.

2) Ex eis quae p. 34 monuimus sequitur, ut in hisce summis conficiendis etiam complura eiusdem vocabuli exempla uno in titulo exstantia singillatim inducenda sint.

docti singulorum verborum ratione ac frequentia diligenter examinata sic totam quaestionem inverterunt, ut scripturam per *ει* tamquam antiquissimam ac propriam Attici usus quibusdam vocabulis vindicandam censerent, quorum hodierna scriptura per *ι* ex posterioris demum aetatis consuetudine in nostros codices editionesque esset illata. Atqui de eorum quidem verborum genuina forma, quae antiquissimarum inscriptionum fide nituntur, dubitari nequit. Sic in epigr. VI a. Chr. n. saec. *n. 19* ex Kirchhoffii emendatione pro eo quod in lapide est [1]) ϟΥΝΜΕΙϟΙ nunc legimus *συνμείξας* et in tit. V saec. *n. 21*. 6, 10 *Ποτειδαίας*. Contra verbi *οἰκτείρειν* propriam scripturam per *ῑ* fuisse, quamvis difficilis sit explicatio (cf. Curtii Verb. I² p. 382), nunc certo constat. Nam cum antea unius aoristi formae innotuerint (n. 1 *οἰκτίρας*, n. 2a *οἴκτιρον* (Mus. Rh. XXXIV) al., nunc in epigrammate antiquissimo *n. 1a* primum a Kaibelio edito etiam praesentis forma exstat *οἴκτιρ'*. Deinde autem quasdam voces per *ι* a nobis scriptas mutatae scripturae frequentia reliquas longe superare neminem fugit. Ac duo potissimum verba huc pertinent *τίνω* et *τιμάω*, de quibus accuratiorem quaestionem post Sauppium (de tit. Teg.) instituerunt Cauer (Curtii Stud. VIII p. 253) ac nuper G. Meyer (Gr. Gr. § 113). Etiam epigrammata creberrima praebent exempla formarum, quae cum horum verborum radicibus cohaereant per diphthongum scripta, in quibus nominum propriorum multitudo sat memorabilis est. Cum enim antiquissimum exemplum formae *ἔτεισε* iam commemoraverimus (*Τεισικράτης* in tit. IV a. Chr. n. saec. n. 938a ut in inscriptione Boeotica huc non pertinet), ceterum duodecim exempla exstant per *ει* scripta. Verbi autem *τειμάω* cum *τειμή τείμιος, ἄτειμος πάντειμος* multisque nominibus (*Τείμων, Τειμέας, Τειμογένης, Τείμανδρος, Τειμόθεος, Θεοτείμητος, Φιλότειμος, Ἀτείμητος*) non minus quinquaginta quattuor exempla ex quinque et quadraginta epigrammatis collegi, ut octavam omnium quae invenimus exemplorum partem una in radice positam esse appareat. Tamen paulo audacius progressi sunt, qui utriusque verbi hanc pro-

1) Nihil facit ad nostram quaestionem, quod Lolling (Mitth. d. arch. Inst. V p. 247) ex accuratiore apographo *συνμεί[ξειν]* elicuit.

priam fuisse scripturam contendunt, Cauer et Meyer. Alia enim huius, alia illius ratio est. Atque de verbo quidem τίνω omnibusque vocibus quae ab eo derivatae sunt rectissime observaverunt viri docti: nimirum formarum ἔτεισα cett. et Τεισ... auctoritas constanti omnium Graecorum usu antiquiore firmatur[1]): quamquam, quod olim Ahrens (Dor. p. 184) animadvertit, etiam hac in radice nisi insequente σ diphthongum nusquam reperiri, nullo adhuc, quantum video, tituli cuiusdam antiquioris testimonio refutatum est. Contra mirari non desino, quomodo de verbo τειμάω idem statuere potuerint viri docti. Etenim si hoc quoque proprie per ει scriptum esse censemus, qua quaeso ratione scripturae per ει exempla multo antiquiora quae exstant explicabimus? Ut sola epigrammatum exempla arcessamus, saec. III habemus n. 48 v. 4 [τι]μῶ, v. 5 τιμήσω, v. 7 τιμαί; saec. IV n. 34 τιμήσας; saec. VI a. Chr. n. n. 14 Τιμοκλῆς. An inde ab ipso sexto a. Chr. n. saeculo prima irrumpentis itacismi vestigia repetamus? Multo etiam minus de propria forma aliarum vocum dubitatio potest incidere, quarum vocalis ι prae ceteris eo inclinabat, ut in diphthongum transiret. Sic verbi νεικάω nominumque quae cum eo cohaerent triginta duo exempla in epigrammatis repperi, vocis ὠδείς novem, substantivi ὁδείτης triginta quattuor: quibus hanc scripturam tamquam genuinam vindicare ipse G. Meyer dubitat. In eo igitur acquiescendum est, ut certarum quarundam radicum vocalem reliquis paulo facilius ac frequentius mutationem passam esse ex inscriptionum testimoniis discamus: certam huius rei causam frustra quaesiveris.

Quo accuratius huius quidem itacismi singula in genera inquirendum erat, eo brevius contrariam mutationem diphthongi ει in ι absolvere licet. Ante enim tractanda erat irregularis quaedam fluctuatio: nunc ad id pervenimus, quod tota linguae pedetemptim ad labem degliscentis natura secum ferebat, diphthongi videlicet mutationem in simplicem vocalem; quae, quasi ex communi regula facta, non permittit, ut singula verba reliquis praeferantur: nisi forte ea terminationum genera vis enu-

1) Huius rei certam notitiam Kirchhoffii debeo benignitati. — Cf. nunc Blass² p. 53.

merari, quarum usus frequentia per se efficit, ut itacismi quoque paulo crebriora vestigia in eis exsistant, ut e. g. memorem I et III pers. praes. ind. (*θέλις, δώσις, ἕξις, ἕλκι*), infinitivos in *-ειν* (*φέριν, εὑρῖν*), substantivorum in *-ις* exeuntium dativos (*φύσι, πόλι*) aliaque eiusmodi.

Restat, ut exempla inspiciamus, quae cum qualitatis mutatione coniungant depravationem quantitatis, ea dico, quae diphthongum *ει pro ι brevi* praebent. Haec autem singula placet enumerare, quoniam pauca non sine dubitatione recepi, alia tam raro in carminibus reperiuntur, ut locos ex quibus vera eluceat vocalis quantitas addere haud inutile duxerim:

ἰμί n. 530 in vico Kararizi

εἴ με θέλις ὦ ξεῖνε δαήμενε, τίς πόθεν εἰμεί[1])

ἔχουσιν n. 891 (Syracusis, saec. II vel III)

εἰκόνα τῆς σοφίης δὲ καὶ ἐν στήθεσσιν ἔχουσειν

ἵλαθι n. 1024 in vico oasis Thebarum (litt. ΩCЄY)

ἵλαθει Χριστὲ πάτερ χρύσεον γένος ἀνθυποφήνας

ἰσι[έ]τω[2]) n. 1138 in pariete Pompeiano

ἐνθάδαι κατοικεῖ, μηδὲν εἰσειαίτω κακόν

memorabile exemplum, quod, cum ex universa indole eiusmodi inscriptionum parietariarum aut ipso anno 79 aut paulo ante inscriptum esse appareat, luculenter demonstrat, quantopere iam primo p. Chr. n. saec. vulgaris ut pronuntiandi, sic etiam scribendi usus itacismo fuerit inquinatus.

ἰδών n. 713 (prope Ficuleam) tit. barbaro sermone conscripti v. 9

οὐ πόλεμόν ποτε εἰδὼν, οὐ χεῖρα φόνοισι μιάνας.

τὸ φεῖλος substantivum nove dictum in titulo Cariae n. 289 (saec. I p. Chr. n.), de quo certum iudicium ferre ob id ipsum difficile est. Atque radicis quidem vocalem brevem esse videmus ex verborum *φῐλος, φῐλία* usitata mensura, sed ad aoristi Homerici *φῑλατο* (scr. *φειλάμενος* in tit. Mysiae I vel II saec. n. 247) similitudinem per longam vocalem hoc substantivum formatum esse eo magis crediderim, quod epigramma nostrum

1) Contra in verbis sequentibus *Λαδικίης πάτρις εἰμί.*

2) Cf. Lobeckium ad Phrynich. p. 15 sq.

ceterum vitiis metricis vacuum longam syllabam hoc loco exposcit:

φεῖλος ἀδελφείου μηδενὶ λειπόμενος.

διάκριτος n. 479 a Tegeae (Mus. Rhen. XXXIV)

Πάντων Ἀζάνων με διάκρειτον ἤθεσι καὶ νῷ

ἀίδιος n. 919 tit. in Lycia effoss. IV p. Chr. saec.

δέξατ' ἀείδιον ὑπάτων λάχος εἵνεκα πάντων

cuius versus vitiosi incerta est mensura.

ἴδιος n. 389 ad Hierapolin.

εἰδείῳ[1]) ἀνδρὶ θηροτρόφῳ μνείας χάριν ἤδ' ἀνέθηκεν

ἀνδριάς n. 406 Iconii (litt. ЄЄCШΞ)

v. 1 ἀνδρειάντ' ἂν εἰσορᾷς, φίλε, Ζωτικοῦ εἰκών

contra v. 12 ἀνδριάντι. Iusta huius vocabuli mensura quantum video ex solo Pindari loco Pyth. V, 38 concluditur

μέλαθρον ἀμφ' ἀνδρĭάντι σχέδον,

nam duo Aristophanis tetrametri troch. nil comprobant, cum in pari sede inveniatur media vocis ἀνδριάς syllaba.

γλυκιότερον n. 572 Romae I vel II saec.

ἑπταέτης· τῆς δ' ἦν οὔτι γλυκειότερον.[2])

Habes comparativum a comparativo derivatum, ut μιοτέρην n. 558 (cf. Kühner, Gr. Gr. § 155).

ποίμνια, ἅγιος n. 427 epigr. Christianum Hadrianis ad Olympum repertum, quantum cognosci potest in versibus miserrimis, mira laborat vocalium et scripturae et mensurae vacillatione:

v. 2. ἀνδράσιν [ἁ]γίοις· δόξαν ἐφειλάμ[ε]νος
v. 5. ἁγί]ῳ τε λαῷ θεοῦ υ[ἱοῦ], οὗ ποίμνεῖα τέρπ[εν
v. 6. ψ]αλμοῖς δ' ἁγείοις κ(αὶ) [ἀνα]γνώσμασιν πάντας
v. 7. ἐν ἁγείῳ τε τόπῳ .... | ἔθελγεν
v. 8 .... μελάθροις ἁγ[ίων

1) Cf. n. 139 ... ἴδιος γαμέτης ἐπόησεν, sim.

2) A librorum manuscriptorum exemplis memorandis consulto abstinuimus; sed cum codicum papyraceorum in sepulcris Aegyptiis effossorum in rebus orthographicis fere eadem sit auctoritas ac lapidum, bene notandum est, quod in *Hyperideis* voluminibus legitur βελτειον, δυναμειν pro βέλτιον δύναμιν, aliaque memorabilia de quibus cf. Blassii praef. ad Hyperidis ed. p. XI et XVII.

ἡλικίη n. 428, prope Laodiceam (litt. ЄСѠ)

νέος ἡλικεί[ην ἔ]ρνος κλυτὸν ἐνθάδε κῖτε

πολυλήιος n. 447 Syriae epigr.

Καίαμος εὐφρονέων πολυλ[ή]εῖος ἐνθάδε κεῖται

(cf. Il. *E*, 613:

ὅς ῥ᾽ ἐνὶ Παισῷ

ναῖε πολυκτήμων πολυλήιος).

γάϊος n. 606 Romae saec. II vel III

τέρμα βίου τελέσας, παῖς [γ]άεῖος, ἐνθάδε κεῖμαι.

Quamvis inter se discedant apographa (ΠΑCΤΑCΙΟC, ΠΑΙCΤΑΙΟC, ΠΑΙCΤΑΙΕΙΟC), tamen terminationis scriptura per *ει* certa mihi videtur neque ad nostram quaestionem facit, utrum cum Kaibelio legamus *γάειος*, an aliud quid ex aliorum conaminibus.

Εὐνόμιος v. 424 in tit. Phrygiae, VII p. Chr. n. saec.

ὁ δ᾽ Εὐνόμειος καινίσας τὴν σύστασιν,

ubi vocalis productionem excusat nomen proprium, quod etiam in sequentia exempla cadit.

Καλλίνικος n. 906 Gortyne IV fere p. Chr. n. saec.

στῆσε δὲ Καλλείνικος ἐνηὴς δόγμασι νήσου

Ἀλκιβιάδης n. 661 Neapoli

ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ἀλκειβιάδην,

cuius versus metricam condicionem postea expondituri sumus. Ipsum Alcibiadis nomen nullo in carmine praeterea repperi, *Ἀλκίβιος* autem legitur Nic. Ther. 541

ἐσθλὴν Ἀλκῖβίου ἔχιος περιφράζεο ῥίζαν.

Αὐρηλεία, *Ἀντωνεία* n. 588 (Romae)

cum in eodem epigr. nomina inveniantur *Αὐρήλιος*, *Ἀντώνιος* et vocis *Ἀντωνίη* etiam in Graeco carmine exstet brevis mensura A. P. VI. 244, 3 *ὠδῖνας νεύσαιτ᾽ Ἀντωνίη ἵλαοι ἐλθεῖν.*

II. AI.

Diphthongi *αι mutatio in ε*, ut posteriore aetate, quam modo tractatae, adhiberi coepit, sic multo etiam rarius in titulis invenitur. Atque ex epigrammatis Atticis duo tantum huc pertinent, quorum alterum n. 168 (*γέης, κεῖμε, μοῖρε*) ex barbara origine excusationem ducit, alterum n. 1027 (v. 7 *νέιν*, v. 18 *δε̃μον*, v. 38 *γ[έ]η* [in lapide ΓCΗ]), vetustum continet

hymnum a quadratario foedissime transscriptum: in universum CVIII exempla litterae ε pro αι adhibitae ex LVIII carminibus collegi, ex quibus triginta etiam mutationis ει in ι vel ι in ει vestigia praestent. Haec autem depravatio quam maxime verborum nominumve declinationis quibusdam formis constat, inter quas excellunt I et III pers. sing. praes. et perf. med., infinitivi in -αι et -σθαι exeuntes, nom. et dat. plur. decl. I. Ista igitur formarum genera LVIII exemplorum numerum explent: quibus si addideris undecim particulae καὶ, quae propter brevitatem formae atque usus frequentiam facillime omnium mutationem passa est, iam videbis, quam pauca exempla ipsarum radicum mutationi relicta sint. — Aliam diphthongi αι depravationem invenimus in dialecto Boeotica, ubi αι *per* η exprimi solet; quamquam ne huius quidem usus vestigia in epigrammatis prorsus desunt. Nam praeter inscriptionem Laconicam II p. Chr. n. saec.

n. 1101 *ἔγρα(ψε) κὴ ἐχάραξε Δαμονικίδ[ας*

sat mirum perhibet vocalismum epigramma Phrygium *n. 372* IV fere p. Chr. n. saec. v. 3 *νήω*, v. 4 *χήρων* (contra v. 26 *χαίροις*), v. 6 *ἰδέσθη*, v. 7 *ἰσορᾶτη*, v. 37 *κλῆε*, multis exemplis servatae αι intermixtis. Accedunt contrariae mutationis exempla v. 1 et 13 *αἴλυθον* (v. 20 *ἤλυθε*), v. 6 *αἰελίου*, v. 10 *μαιδὲ*, v. 19 *ἑβδομαικονταέτης*, v. 34 *αἰδέ;* praeterea singularia quaedam v. 9 *κὲ* et v. 26 *ἠσθ[λέ = ἐσθλέ*.

Denique, quod eventurum fuisse ex depravationum ante expositarum analogia exspectaveris, factum est, ut etiam αι pro ε interdum scriberetur. Singula exempla haec sunt:

ἐσθλός n. 367 Cotiaei III fere p. Chr. n. saec.
αἰσθλὲ ὁδεῖτα.

Ἔλεος n. 792 Athenis (II p. Chr. n. saec.)
σὸν Ἐλαίου βωμὸν ἱκετεύομεν ἡμεῖς.

ἄχεα n. 177 in tit. Attico Christianae aetatis, cuius metrica indoles bene indicat inscitiam scriptoris, qui hexametros faceret an senarios, Kaibelio haesisse videtur.

v. 3 *μόνην ἐάσας γαμέτην καὶ ἄχαια νήπια τέκνα.*

εὐφραίνεσθε n. 920 in tit. Rom. II, 6'

εὐφραίνεσθαι φίλοι εἰς λαβύρινθον ἀεί,

ubi imperativum recte agnovit Kaibel.[1])

εἵνεκα. n. 663 εἵνεκεν ἡθίας, εἵναικα τ' ἀγλαίης

ἔτι particulam exstare vidit Kaibel in tit. 945 prope Thessalonicen eff., ubi sic de puero mortuo exponitur

αἴθ' ἐ πλοκαμεῖδες ἐπῆσαν

ὠκεανοῖο n. 1140 in amuleto Iustiniani fere aet. ὠκαιανοῖο ex certa Kirchhoffii emendatione pro ωΚΑΙ|ΗΝωΗ

ἔγρεο, κέκλυθι n. 1027 v. 1, 6 ἔγραιω, v. 6 καίκλυτι, mira lapidarii vitia

εἰσιέτω n. 1138 εἰσειαίτω, cf. p. 38

μὲ et τὲ. n. 334 in lapide admodum recenti prope Ilium novum eff. v. 8 μαι (contra v. 4 et 12 με) et v. 10

τύχη δαίμων ται ἀλόγισστος

n. 1057 Batanae ται

n. 527 in tit. barbaro Berrhoae (litt. Єω) οὗται.

Habes quindecim exempla, quorum nullum, quantum diiudicari potest, primum p. Chr. n. saeculum vetustate superat, pleraque ad recentissimam aetatem apertamque barbariem pertinent.

III. OI.

Scripturae *υ pro οι* rarissima tantum inveniuntur exempla sparsa per epigrammata recentiora. Cum autem hac quoque in mutatione Boeoticam dialectum ceteras longe praeiisse inscriptiones doceant, vix casu accidisse duxerim, ut unicum epigramma, quod constanter hunc usum servat, Boeoticum est Christ. aet. *n. 545* (Plataeis) *v. 3* ἀνῦξε, *v. 4* ἀνῦξον, *v. 5* ἀνῦξε, *v. 6* ἀνυγόμενον. Uno praeterea in epigrammate paulo frequentius adhibetur haec mutatio in tit. Romano *n. 719* (litt. ЄCω) (cuius scriptorem humili quadam condicione usum esse apparet ex forma vulgari, ne dicam Neograeca, ἦτον pro ἦν) ἐπύησα v. 5 et 10 et solum quod in epigrammatis nostris repperi exemplum contrariae mutationis *υ in οι* λοιπήσασα. Reliqua praeter n. 1140 λυγ[ό]ν, cuius tituli scriptura omni ex parte vitiosa sit, omnia lapicidarum neglegentiae tribuenda sunt:

---

1) Idem observamus in titulis Phrygiis Christ. aet. CIG. IV n. 8935 (litt. ⊏Cω) παύσασθαι μάθεται, n. 8939 ἀντλήσαται, al.

τύμβυσι n. 290. Trallibus (litt. ΑΕCΩ)
μῦρα n. 318 prope Smyrnam (litt. ΕC)
μυρῶν μίτον n. 339 Cyzici (litt. vulg.)
. *ἀνύξει* n. 376e Eumeniae (saec. II p. Chr. n.)
ἴκυσθε n. 431 a Damasci.

Denique ex probabilibus editorum coniecturis:
n. 387 Apameae (III p. Chr. n. saec.).

Ροῦφος ἐπ[ύησ]α Μηνογενεῖ in lapide: ΕΠ\ΞΑ et n. 406 *ὃς ἂν δὲ κακῶς τῷ ἀνδριάντ[ι] π[υήσ]ῃ*, ubi pessimum apographum perhibet ΑΝΔΡΙΑΝΤΗΠΠΥΛΗ.

Infima aetate etiam ultimae, quae opus erat ad aequandam omnium praeter *ε* et *αι* vocalium pronuntiationem (cf. p. 32), mutationis, ut ü (scr.: *υ*, *οι*) pronuntiando confunderetur cum i (scr.: *ι*, *ει*, *η*) pauca quaedam vestigia si non in epigrammatis Kaibelianis, tamen in aliis quibusdam inscriptionibus Christianis servata sunt, ut in titulo prope Spartam eff. a. 1027 p. Chr. n. CIG. 8704 v. 1 *ἰκτήρμων* (*οἰκτίρμων*), v. 3 *ἀνηκοδωμήθη*, v. 12 *ἀνικοδομηθέντος*, v. 27, 30, 31 *ἰγούμενον*, n. 8915 (in Chers. Taur.) *ἡ(ό)ς* (= *ὑός*), n. 9113—15 *ἐν κόλπις* (in tit. Nubicis), aliis.

IV. Reliqua.

1. Restat, ut alias quasdam mutationes paulo reconditiores paucis absolvamus, quae imprimis ad vocalem *η* pertinent. Posteriore enim aetate licet observare litterae *η* pronuntiationem magis magisque primum ad similitudinem diphthongi *ει* appropinquasse, deinde in longam vel ancipitem vocalem *ι* abiisse, quam consuetudinem iam Herodiani aetate latius patuisse constat (Foy, Lautsyst. p. 84, Lentz, Herod. I p. CI). In epigrammatis autem pauca tantummodo leguntur vocabula, in quibus aut *ι* vel *ει* (haec enim inter se disiungi non possunt) scriptum sit pro *η*, aut *η* pro *ι* vel *ει*

a) *πάτρη* n. 530 *Λαδικίης πάτρις εἰμί*
μήτηρ n. 998 Thebis in basi Memnonis (150 p. Chr. n.) *μήτειρ*, contra *μίτηρ* n. 1140.
βλαστήσειεν n. 547 in tit. Sardin. (I p. Chr. n. saec.) v. 1 *βλαστείσειεν*, contra v. 4 *βλαστήσαις*.
ἀτρεῖες, *νειόν* n. 1046.

b) *τρηχῆαν* n. 237 in tit. Smyrnaeo II vel I saec.
ἥδρυσε n. 414 in inscriptione fortasse Aegyptia
τέληον in tit. Romano n. 696 II p. Chr. n. saec.
[*προπ*]*έτηαν* n. 1111 (cf. p. 3)
ἔκτησαν n. 454 in Trachonitide
ἐπηνῆς δόμος εἰμὶ βαθυκτεάνων ναετήρων (pro *αἰπεινῆς* i. q. *αἰπεινός*) n. 1069 (in Syria).

Unde videmus praeter Smyrnaeum illud nullum exstare exemplum earum terrarum, quae Graeco sermone aut genuino utebantur, aut antiquitus importato: omnia enim sive Italica sunt sive Aegyptia seu Syriaca. Atque apud Syriae quidem incolas, quos in universum miram quandam vehementerque depravatam vocalium Graecarum pronuntiationem adhibuisse ex inscriptionibus apparet, latius patuisse hanc consuetudinem alii praeter nostros testantur tituli in Trachonitide eisque montibus qui nunc Haurân vocantur a Wetzsteinio collecti (Acta maiora Acad. Berol. 1864 p. 255 sqq.), ubi legimus n. 208 *τῖς πώλεος* pro *τῆς πόλεως*, n. 28 *ἐξ ἠδίων* pro *ἰδίων*, alia: quamquam iidem tituli pertinacius haud raro, quam aliis in regionibus factum videmus, litterae *η* qualitatem servarunt, ut n. 101 *ἐκκλεσία*, al. Satis frequentem fuisse hanc depravationem infima potissimum aetate multis comprobatur exemplis Christianis et Iudaicis CIG. IV et CIA. III 2.[1])

2. Singularia quaedam addo exempla mutationum rarissimarum, aptissima illa quidem ad illustrandam universam vulgaris graecitatis perturbationem. Primum autem cavendum est, ne exempla quaedam Attica scripturae *diphthongi ει pro simplici ε* huc pertinere credamus. Quod enim legitur in epigr. Att. IV a. Chr. n. saec. n. 90 *εἴχει* et n. 58 a (Mus. Rhen. XXXIV) *ἔθανειν*, n. 1136 (III vel II saec.) *ἀργαλείοισι* meri sunt lapidariorum errores, qui ad pronuntiationem cognoscendam nihil faciant. Nam cum antea Athenienses per litteram E tres vocales E, H, EI exprimere soliti essent, notissima lege Euclides

1) E. g. memoro diversas vocis *κοιμητήριον* scripturas in titulis sepulcralibus CIA. III, 2. 3435—3547 *κοιμητήριον*, *κυμητήριον*, *κυμητίριον*, *κυμιτίριον*, *κοιμιτίριον*.

tres istas litteras ut loquendo sic etiam scribendo inter se separandas esse constituit. Iam fieri non potuit, quin scripturae vacillatione orta lapicidae passim adducerentur, ut etiam eis locis, quibus simplex E retinendum erat, falso EI inferrent. Hanc explicationem ad nostra epigrammata quadrare, inde cognoscimus, quod in eorum lapidibus veteris scripturae exempla aperte exstant n. 90 *κεμα(ι)* pro *κεῖμαι* et n. 1136 EKATEI pro *Ἑκάτῃ*. Alia autem ratio epigrammatis est n. 96, ubi Phoenix ille, quem iam novimus, formam *εἰχθρολέων* protulit pro *ἐχθρολέων*, cuius barbarismi certam quandam causam investigare (quod frustra conatus est Usener) ipsa tituli condicio vetat.

3. Omnia, quae adhuc de diphthongorum mutationibus attulimus, ad eas tantum pertinebant, quae cum vocali *ι* compositae sunt: reliquae, quarum alteram sedem *υ* obtinet, sic posteriore aetate in monophthongos transibant, ut ipsa *υ* primum in semivocalem, deinde in consonantem mutaretur et pro *αυ*, *ευ* pronuntiaretur aw, ew, quam consuetudinem adhuc Graeci retinuerunt.[1]) Cum hoc igitur transitu haud dubie cohaeret, quod simplices vocales *α*, *ε* pro diphthongis *αυ*, *ευ* passim in titulis recentioribus reperiuntur: nimirum consonantis sequentis, cuius litteram iam antiquissimis temporibus amiserant, significationem in scribendo neglexerunt. Ex epigrammatis huc pertinent:

n. 311 Smyrnae (litt. vulg. praeter W) v. 3 *τοὔνομα τἀτὸν* . . .

n. 321 prope Sardes haud ita multo post a 171 p. Chr. n. inscr. *τὸν ἁ τ ῶ ν πατέρα*

n. 340 in valle Macesti fluminis II vel III saec. *τῷ γλυκυτάτῳ τέκνῳ καὶ ἑ α τ ο ῖ ς·*

n. 734 Romae (litt. ЄЄC) *σύνοιδα ἐ μ α τ ῷ*[2])

n. 816 Romae (litt. ЄC) *Ἑρμῇ δ' ἐπ' ἄλειφα χ έ σ ο μ α ι*

n. 706 Aquileiae *τὰν μορφὰν τάνδε τ έ ξ ε δόμος Γαλατῶν*, quamquam hic dubitatio restat, utrum verbi *τεύχειν* aoristum

1) Aliter sentit Blass[2] p. 67.

2) Similia etiam aliis in titulis passim occurrunt, ut CIG. IV 9777 *ἑατῷ*. Inscr. Olymp. n. 12 *ἀτῆς*, n. 33 *ἀτό*, n. 39 *ἑατήν* (Arch. Ztg. XXXIV et XXXV).

agnoscamus, an verbi *τίκτειν* aoristum I haud inusitatum posteriori graecitati.[1])

Haud scio an eadem ratione explicentur rarissima quaedam exempla hisce contraria, quibus diphthongus simplicis vocalis locum usurpavit, ut n. 1140 *ὑούς*[2]) et n. 956 in tit. Attico a. fere 120 *εὐφήβοισι* pro *ἐφήβοισι*, qua de forma cf. Neubauerum (Herm. XI p. 141) et Kaibelii annotationem.

Cap. II.

De vocalium quantitate neglecta.

Simul cum qualitatis depravatione vocalium etiam mensura, antea accuratissime definita, perturbari coepit. Atque quinam denique effectus fuerit huius mutationis pedetemptim increbrescentis, sub uno oculorum conspectu positum est in *Byzantinorum versibus politicis*, quibus in componendis pristinae vocalium quantitatis nulla omnino ratione habita solum verborum accentum numerumque syllabarum respiciebant. Primordia autem huius labis sensim irrepentis multo difficiliora sunt ad investigandum. Quorum largissima quae in epigrammatis latent vestigia quam maxime respicienda sunt. Primum enim cum epigrammatum usus per omnia fere graecitatis saecula pervulgatus fuerit, quasi ipsa invitant ad singulorum temporum rationem inter se comparandam, deinde, quoniam magna ex parte ab hominibus indoctis, quos opifices maiore iure quam poetas dixeris, composita sunt, ex eis aptissime perspicitur, quanta dubitatio de vocalium mensura in vulgari quidem sermone iam ea exstiterit aetate, qua poetarum usus procul aberat a tanta inaequabilitate. Quamquam, si carminum Homericorum usum cum Atticis poetis comparamus, compluribus in vo-

1) Dignum est quod memoretur duobus locis eandem animadverti dubitationem in ipsos libros illatam Orph. H. XL ubi inter *τέξασα* et *τεύξασα* et Hippocr. de mul. morb. I, 32, 749, ubi inter *ἐπιτέξῃ* et *ἐπιτεύξῃ* codicum scripturae vacillent (Lobeck, ad Phryn. p. 743).

2) Cf. *ὑοὺς* CIG. IV, 9066 *Βικτορῖνους* n. 9631 *Βικέντιους* n. 9645.

cibus longarum potissimum syllabarum correptionem tam antiqua aetate ortam esse apparet, ut ab optimorum poetarum consuetudine minime abhorreret. — Tamen si omnia velim enumerare, quae in recentissimi aevi versibus inconditis a melioris aetatis consuetudine recedant, consilium inierim tam inutile ac molestum quam operosum: immo vero plenae perturbationis paucis exemplis infra allatis [1]) satis habui ex eis versibus, quos qua ratione formari voluerit poeta dilucide cognoscitur, exempla colligere apta ad totius mutationis rationem explicandam et illustrandam. Accedit, quod multorum quae huc pertinent exemplorum mentionem iam antecedenti capiti inseruimus. Nominum autem propriorum tractationem in proximum caput differamus.

Cum autem orta sit haec depravatio haud dubie eis a vocalibus, quae longam et brevem pronuntiationem eadem littera complectantur, primum exempla inspiciamus vocalium $\breve{\bar{\alpha}}$, $\breve{\bar{\iota}}$, $\breve{\bar{\upsilon}}$, deinde ad reliquas transeamus, in quibus eo haud raro progressa est perturbatio, ut syllabis brevibus, quamvis pronuntiando non producerentur, tamen longae vocalis scriptura adhiberetur. Quantopere omnino ultimis graecitatis saeculis omnis differentia inter syllabas longas et breves evanuerit, quasi ad oculos demonstrant titulorum condiciones, quorum in multis tam constanter, ut consulto factum suspiceris, longae vocales brevium, breves longarum litteris expressae sint, ut in Wetzsteinii titulis Syriacis n. 64 *οὐεξιλλατιõνος, τὼ μνῆμα θημελίων, ἤτους* (idem n. 72) *ἐνθάδη*, n. 101 *ἐκκλεσία*, n. 118 *ὁ θεὼς ὡ βωηθõν, ἐξ ἰδίον ὁ βοθέσας*, n. 208 *τῖς πώλεος*, multisque inscriptionibus Christianis (CIG. IV) infimae aetatis.

§ 1.

De vocalium longarum correptione.

1. $\bar{\alpha}$. Ut a notissimis rebus proficiscamur, propter adiectivi $\kappa\breve{\bar{\alpha}}\lambda\acute{o}\varsigma$ diversam mensuram apud Homerum et poetas Atticos

---

1) Epigr. Phrygium *n. 425* memorabile artis metricae exemplum iure vocat Kaibel, quoniam versus iusto nec maiores nec minores, syllabarum autem nulla fere legitima mensura. Ceterum Kaibelii indicem versuum

epigrammatum auctores modo ex Homerico sermone productam, modo ex suae aetatis consuetudine correptam formam praeferebant. Idem pertinet ad aliorum vocabulorum ancipitem mensuram, ut *ἀνήρ*, *ἀείδω*, alia. — Sed etiam ex posterioris aetatis mutationibus haud ita paucae propria excusatione expediuntur. Saepius enim in epigrammatis singulae formae auribus offensam praebent, quae cum carminis metro prorsus non possint consociari. Tum vituperandi sunt poetae non propter falsam vocabuli mensuram, sed quod omnino talem vocem, cuius ab usu meliores poetae caute sese abstinuerint, metro repugnante in versum inculcaverint; quamquam multis locis eiusmodi difficultatem evitari vix potuisse videbimus. — Iam singula videamus exempla:

μορφᾰ́ n. 1109 Argis in tit. recentissimo
τάνδε λίθῳ ψυχάν· μορφᾰ̀ τόσον δύναται
μικρᾰ́ n. 1118
μικρὰ μὲν ἡ λίθος ἐστίν
θειᾰ́ς n. 615 Senae Gallicae saec. II vel III
v. 8 *θειᾰ́ς ἐξ ἀθανάτων φωσὶ φράσας ἀρετάς*
δίκᾰς n. 647 Romae saec. IV
καὶ δίκας ἀμφιλόγους . . .
ὀστᾰ́ n. 517 Edessae III vel IV saec.
v. 7 *ὀκτωκαιδεκέτης λειφθεὶς νέος, ὀστᾰ̀ δὲ πατρὸς*
ubi antecedente forma soluta v. 3 *ὀστέα δ' ἐνθάδ' ἔνεικεν*.... contractam poeta corripuit, ut
Opp. Cyneg. I, 268 *ὀστὰ συνηλοίησαν*
et in epigrammate Diog. Laert. I, 63
ὀστὰ δ' ἔχει Σάλαμις, ὧν κόνις ἀστάχυες
στήσᾰς n. 339 Cyzici
δισσῶν σου ταρσῶν στήσᾰς ἴχνος σὺ μάθε.
εἰᾰ́θην n. 314 in pessimo tit. Smyrnaeo
v. 20 *καὶ ταῦθ' ὡσαύτως εἰᾰ́θην πάλιν, ὡς τὸ πάροιθεν,*
quamquam ante recte leguntur v. 14 *εἰᾱ́μασι*, v. 13 *εἰᾱ́σατο.*

---

inconditorum memorasse sufficit. Etiam aliis ex inscriptionibus Christianis multae ex solo syllabarum numero dispositae sunt, ut CIG. IV, 8665, 9262, 9536, 9539, omnes senarii infimae aetatis.

ἔστᾰνε in tit. Attico n. 970 cuius barbaram originem ipsius verbi *σταίνειν* usus sat aperte indicat

ὅς ποτε γυμνασίῳ Φιλήμονος ἔστᾰνεν Ἑρμῆν.

λᾰούς n. 981 Philis saec. I

ἀξιθέους αἳ [λ]ᾰοὺς ἤγαγον Αἰθιόπων

quamquam de huius versus mensura dubitari potest.

λαοτόμων n. 1021. Apud Antinoen.

τέχνην θαυμάζων τῶν ἱερῶν λαοτόμων

ubi vulgari usu duae vocales per synizesin in unam contrahuntur eamque correptam, quamvis facile, ut observavit Franz, hoc vitium evitari potuerit mutato verborum ordine .... *λαοτόμων ἱερῶν.*

τριᾰ́κοντα n. 731 Romae, Christ. aet.

ὃς ζήσας τριᾰ́κοντα ἔτη, ἐπὶ τοῖσι δὲ τρία.

n. 1061 Constantinopoli, Christ. aet.

κίων ἠελίοις ἐν τριᾰ́κοντα δύω

n. 522 Thessalonicae tit. admodum rec.

v. 16 *ἀλλ' ἔθανον τριακονταέτης βιότου μέτρα λείψας.*

Cf. A. P. XI, 298

ξέστας γὰρ τριᾰ́κοντα μόνους λάγυνός γ' ὅδε χωρεῖ

et ex certa Marquardi Gudii emendatione A. P. XIV, 102, 2

παῖδες δὶς τριᾰ́κοντα διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι.

2. *ῐ.* Vocis *ἱερός* prima syllaba cum iam apud Homerum haud raro longam vocalem praebeat, etiam in epigrammatis modo corripitur modo producitur, ut in eodem epigr. utrumque exstare videmus *n. 1016* v. 3 *φάσματος ἐξ ἱεροῖο νοήσεις κόσμον ἅπαντα ῑ̔ερὸν ὡς ἐφύπερθε πρόσωπον ..*

ἴσος in usu Homerico primam producit, qua ancipiti utuntur poetae Attici et Alexandrini. Etiam *ἰατρός*, quod apud Homerum constanter ac semper fere apud melioris aetatis poetas *ι* longam praebet, tamen paucis in versiculis, qui ab ipsis poetis Atticis repetuntur, correptionem iam admisisse apparet,

Arist. Eccl. 363 *τίς ἂν οὖν ἰατρόν μοι μετέλθοι καί τινα*

Plut. 406 *οὔκουν ἰατρὸν εἰσάγειν ἐχρῆν τινα*

407 *τίς δῆτ' ἰατρός ἐστι νῦν ἐν τῇ πόλει*

Eurip. frg. 1071 (N.) *ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.*



Sic etiam in epigrammatis II potissimum p. Chr. n. saec. multa inveniuntur exempla:

n. 243 Pergami saec. II

v. 3 ὅσσον γὰρ σὺ κράτιστος ἰητρῶν ἔπλεο πάντων

v. 10 ἔξοχ'] ἰητορίης, ἔξοχε καὶ σ[οφίης

v. 27 καὶ κλέος ὑψώσας ξυνὸν ἰητορίης

n. 305 Smyrnae saec. II

Ἑρμογένης Χαριδήμου ἰητρείην ἀναγράψας

n. 473 Spartae saec. II

πᾶσιν ἰητορίης ἀπ' ἐμῆς Ἕλλησιν ἀμύνων.

n. 595 Romae eiusdem fere aetatis

ὅς ἦν ἄριστος ἰητρὸς ἐν ζωοῖς ὅτ' ἦν.

n. 596 Ravennae saec. II vel III

Ἀνδρόνικος ἰητρὸς ἀνὴρ μνημήια τίνων. —

Reliqua a meliorum poetarum usu aliena sunt:

ἁψῖδα n. 445 in epigr. Syriaco III fere saec.

v. 4 ἔκτισαν Ἀντιόχοιο καὶ ἅ[ψ]ῖ[δ]α τήνδ' ἐπὶ πάσαις

in lapide est AYIΛA, quod Seidler ut metrum sustentare in ἅψιν mutare maluit.[1])

πολῐτάρχης n. 430 Cairo in urbe III vel IV saec.

v. 7 δισσῶν γάρ τε τόπων πολῐταρχῶν αὐτὸς ἐτείμω,

ubi correptio vocalis fortasse e vocis πολίαρχος similitudine orta est.

τῐμῆς n. 322 prope Sardes a. 214 p. Chr. n.

χαίροις, ὦ παροδεῖτα, τεῐμῆς ἰσάκουσον ἐμεῖο.

μισηθείης in gemma n. 1126

τόσσον μεῐσηθείης, ὅσσον ἐγώ σε φιλῶ.

Scripturam ac mensuram femininorum in -ιη incertam esse constat (cf. G. Meyer, Gr. Gr. § 113).

3. ῡ. Iam ab antiquis temporibus repetenda est adjectivi χρῠσεος correptio ita instituta, ut in eis tantum formis adhiberetur, quae per tres syllabas pronuntiarentur, in contractis

---

1) Quantopere cavendum sit, ne tales emendationes satis viles (quod olim facere solebant viri docti) in textum ipsum recipiamus, tota nostrae commentationis fert ratio. Memorabile autem est poetas saepe, cum duae formae aptae praesto essent, quarum altera metro repugnaret, tamen hanc praetulisse, cf. n. 586, 1126, alia.

autem aut per synizesin proferendis longa constanter retineretur (Steph. Thes.). Contra quantitatis graviter perturbatae vestigia agnoscuntur in particulae *ν ῠ ν* correptione ex vocum *νύν, νύ* similitudine orta:

n. 402 (in Galatia) (litt. CE)

ἡσύχιον τὸ πάροιθεν, νῦν αὐδήεσσαν ἅπασιν

n. 1041 (ad Colossas eff.)

νῦν τοι πάντα τελεῖ δαίμων, νῦν ἐς ὀρθὸν ὁδηγεῖ

n. 896 in Syriae tit. (cf. Kaib. annot.)

εἴθε νῦν καὶ χρυσέοισιν ἀγάλμασιν ὧδε δυναίμην.

In verbi *ἱ δ ρ ύ ε ι ν* aoristo, cum apud antiquiores poetas semper exstet *ἵδρῡσα*, recentior aetas [1]) correptionem interdum admisit:

n. 320 Thyatiris (litt. vulg.)

b. v. 3 *ἤλυθον ἔνθα Διός μ' ἕδραισι καθείδρῠσεν Ἑρμῆς*

n. 414 incerti loci. litt. ΑΣΩ (v. 5 *Ἀβῠδηναίου*)

v. 10 *ἥδρῠσε καὶ λήθης οὐκ ἔπιον λιβάδα*

n. 1059 Eithae Batanaeorum

ἵδρῠσε φαιδρὸν δῆμος Ἐειθηνῶν Καισαρήων

n. 455 Bostrae

τύνβον ἐυξέστοις λάεσιν ἱδρῠσάμην

n. 801 Catanae

ἱδρῠσάμην Σήμων κόσμον ἐμῇ πατρίδι

n. 837 (ad Capuam) saec. II vel III

Ἀρριανὸς βωμὸν τόνδε καθειδρύσατο

quamquam ultimis in exemplis, simodo medii formas inserere volebant poetae iustam mensuram servare non poterant.

ἔ φ ῠ n. 567 Romae (II fere p. Chr. n. saec.)

ἀθάνατος μερόπων οὐδεὶς ἔφῠ· τοῦδε Σέβηρα

ῠ μ ῖ ν n. 706 *θάμβος ἐοῦσαν ὑμῖν τέξε δόμος Γαλατῶν*

θ ῠ μ ο ῦ n. 1113

ὃς δὲ Κόρινθον ἔναιε 'θυμοῦ κρατέειν' Περίανδρος.

4. *η. σ τ ή λ ῆ ν* n. 393 in tit. Phryg. (litt. vulg.) *ἦ τύμβον καὶ στήλῆν ἀνὴρ μνήμαισιν ἄριστον.* — *ἐ κ τ η σ ά μ η ν* et *π ω τ ω μ έ ν ῃ* metri gratia corripuit auctor epigr. *522* (Thessalonicae)

1) A. P. VII, 109 *ἔκτισε καὶ δαπέδῳ Ζηνὸς ἐνιδρύσατο.* Nonnus D. III, 399. IV, 22, Manetho III, 80.

v. 6 πολλοὺς εἶς φιλέων ἐκτησάμη̆ν ἄνδρας ἑταίρους
v. 13 ἀθάνατο̆ς ὑψοῦ πωτωμένη̆ πάντ' ἐπακούει.

Idem cadit in vocem ἑ β δ ο μ ή κ ο ν τ α, quam in titulis sepulcralibus omittere vix poterant poetae, ut n. 305 in tit. Smyrnaeo (litt. vulg.) ἑπτὰ ἐπὶ ἑβδομη̆κοντ' ἔτεσιν καὶ ἴσαις ἐπὶ βύβλοις n. 459a (Syriae) καὶ ζήσαντα καλῶς ἑβδομήκοντα ἔτη.

σ τ ρ ω τ η̆ ρ α ς n. 1058 Bosanae Batanaeorum
στρωτη̆ρᾰς τοῦδε δόμου τεκτήνατο Ἄδδος Ταρούνδου

χ η̆ ρ ο ν n. 406 Iconii
v. 13 ὀρφανὰ τέκνα λίποιτο χη̆ρον βίον οἶκον ἔρημον

μ η̆ τ ρ ό ς n. 422 in tit. Ceo, V saec. qui videtur recentior:
κρῦψε γυνὴ στονόεσσα μητρὸς γαίης ἐνὶ κόλποις

χ ρ ή n. 1041 ad Colossas
7 εἰσὶ καλαὶ πράξεις· σπεύδειν σε χρή· πάντα κρατήσεις

π λ η̆ ρ ώ̆ σ α σ α n. 586 Florentiae
εἴκοσι δὶς πλη̆ρώ̆σασα χρόνους κεῖται λυκαβάντων,

ubi Jacobs πλήσασα proposuit, melius Kaibel difficultatem expedivit.

ἠ δ έ n. 919 in pessimo Lyciae epigrammate v. 4 κεῖθεν ὑπατικὸς Συρίης ἠδ' ἔπαρχος ἑῴας, quae particula propter epicae formae ἰδὲ similitudinem facile correptionem passa est.

5. ω. Non desunt verba, quae inde ab antiquissimo aevo inter productam et correptam vocalis formam vacillaverint, ut δύω et δύο iam in Homeri carminibus reperiuntur. In epigrammatis rarioris formae δ ύ ω exempla habemus n. 192 et 1061. — Similem fluctuationem si non scripturae tamen pronuntiationis posteriore aetate etiam ad vocem ὀ κ τ ώ pertinuisse indicat n. 692 tit. Rom. saec. II v. III
ὀκτώ̆ μόνοις ἔτεσιν βεβιωκότα μησί τε πέντε

ο ὕ τ ω n. 545 σῆμα γὰρ οὕτω̆ τέτυκτε et in eodem epigrammate (Kaib. p. 528) *dat. sg. II decl.* correptus
οὕνεκεν ἐν παραδίσῳ̆ σὺν ἀθανάτοις λάχε κλῆρον

n. 607 tit. Romanus III saec., ubi sic disponendus
v. 2 ποίησεν Κασία τῷ τειμίῳ̆ καὶ ἀξίῳ ἀνδρί.

ἐ μ ῶ ν in tit. fortasse Carthaeensi infimae aetatis *n. 270*
οὐ γάρ σοι θέμις ἐστὶν δόμων μ' ἐμῶν ἐξαπελαύνιν

ἡροϊκός n. 279 Amorgi in ins.

ἡροϊκῷ θανάτῳ τῷδε τέτευχε τάφῳ.

hanc adiectivi formam etiam alibi exstare testatur Kaibel, qui praeter Maneth. I, 13 *ῥυθμοῖς ἡροικοῖσιν* epigrammatis Theraei n. 264 a (Mus. Rhen. XXXIV) subscriptionem *ἀφηρόισε* laudat.

υἱῶνός n. 444 in epigr. Trachonitidis III fere saec.

v. 2 *Τίρῶνος ἀρτιεπὴς υἱῶνὸς φίλος ὄλβῑός τε*

φῶτός n. 421 Aeginae (V fere saec.)

τυτθὸν γευσαμένη βιότου φῶτὸς ἐνθάδε κεῖμαι.

συμφῶνίαν ἐρατοῖς ... n. 560 v. 6.

σῶμα n. 731 Romae

πληρώσας κατέλιπα σῶμα χθονὶ πōλυβοτίρῃ.

6. In *diphthongis* tractandis semper respiciendum est ad eas mutationes, quae per itacismum in linguam irruperunt.

ει. Primum inquirendum est in praepositionis *εἰς* usum. Huius igitur ipsius formae correptae tria exempla investigavi:

n. 511 (cf. p. 21)

ἦξεν εἰς Ἠλύσιον αὐτὸς ἄναξ Κρονίδης.

n. 727 in epigr. Romano Christ. aet.

v. 13 *ὥστε νεκρᾶς πλέον ἢ ζώσης εἰς ἔρωτα φέρεσθαι*

n. 735 Catanae

κόσμοῦ πλάνην προλιπὼν εἰς αἰώνιον οἶκον ἀνελθών

Contra formae per *ι* scriptae haec exstant exempla correpta.

n. 303 in tit. Smyrnaeo (litt. ΑΩΣ)

καὶ βιότῳ χρῆσαι μηδ' ὡς ἰς αἰῶνας ἔχων ζῆν.

n. 356 Hadrianis saec. III p. Chr. n.

αὐτῷ καὶ τεκέεσσιν· ἰ[ς] ἡμέτερον δ' ἄρα τύμβον

ubi traditum ΙΕ facilius cum Kaibelio in ΙC mutamus, quam, quod Boeckh voluit, in ΕC

n. 351 Nicaeae (litt. vulg.)

τὸν θρασὺν ἐν σταδίοις ἰςορᾷς με νέκυν παροδῖτα

n. 322 .... *τεἴμῆς ἰςάκουσον ἐμεῖο*

n. 970 Athenis (litt. ΑЄϹ)

οἱ μετὰ τοῦ Διοκλέους ἰςακούω ...

Habemus igitur formae *ἰς* correptae duo exempla; longam retineri video quattuor locis (n. 168. 313. 372. 384), cum quattuor aliis de vocalis mensura nihil constet sive propter insequentem

consonantem (ἰς κενόν n. 646) sive propter versuum inconditam rationem (n. 446. 723. 1023). — Verborum autem ἰςακούειν et ἰςορᾶν, in quibus metri necessitas desideret primae syllabae correptionem, tamen adiunximus mentionem, quoniam apta sunt ad peculiarem huius correptionis rationem explanandam. Propterea enim de vocis εἰς vel ἰς mensura facillime incidere potuit dubitatio, quod ab antiquissimis temporibus praeter εἰς etiam brevioris formae ἐς frequentissimus usus exstabat, id quod bene illustratur epigr. n. 322, ubi, cum v. 1 legatur ἰςάκουσον, statim insequitur v. 2 ἐςορᾷς.

εἴκοσιν facillime corripi poterat, cum numerus sola littera κ̄ exprimeretur:

n. 171 in tit. Att. ineptissimo recentioris aevi:

ἦν γὰρ ἔτη κἀμοὶ ἑπτά τε καὶ κ̄ (l. ἴκοσι)

n. 715 incerti loci: Αἴας Αἴαντος τέκνον ἐτῶν κ̄

Etiam substantivorum dativi per ι pro ει scripti correptionem ultimae interdum admiserunt.

n. 824 a Tauromenii (Augusti aetate)

ἀμφὶ παραστάσῐ ταῖςδε Σαράπιδος Ἑστίᾳ ἁγνόν

n. 368 (Cotiaei) locus memorabili vacillatione insignis:

καὶ κάλλῐ καὶ μεγέθῐ καὶ σωφροσύνῃ δὲ μάλιστα.

δεισιδαίμων n. 607 (Romae) non potuit non corripi.

αι quam facile correptionem passa sit vel inde patet, quod diphthongi recentior pronuntiatio brevis vocalis littera ε exprimebatur. Nec minus facile usitatissimam prae ceteris ac brevissimam particulam καὶ et *I vel III pers. ind. med.* propter usus frequentiam crebrius correptione affectas esse credemus.

n. 329 Mytilenis (saec. I vel II)

δουλίδα καὶ σύμπλουν πολλῆς ἁλός· ἣν καὶ παράσχοις

n. 355 Flaviopoli

σύν τε φίλοισι τοκεῦσι καὶ τέκνῳ αἰὲν ἐοῦσιν

n. 442 in finibus Nabataeorum saec. II

ἐνθάδε πατρὸς ἐοῖο καὶ μητέρος ὄστεα θῆκε. —

n. 622 Romae, Traiani fere aet.

v. 6 πρὸς πέντε φθίμενος τήνδ' ἐπίκειμαῐ κόνιν

n. 662 Romae (in Soaemi cuiusdam sepulcro)

κεῖμαῐ Σόεμος ἀνὴρ βιότητα νέος τελέσσας

n. 674 Romae III fere saec.
ἐνθάδε κεῖμαῐ δάμαρ ὑπάτου ἥρωος ἀγανοῦ
n. 675 Burdigalae
ἧς μεμέρισταῐ βρέφη, ζωὸν πατρὶ, θάτερον αὐτῇ
n. 713 in tit. barbaro Ficuleae
v. 2 καὶ πῶς μοι βεβίωταῐ καῐ πῶς ἀνέλυσα μαθήση
n. 657 (Praeneste) III fere saec.
ἀλλά με μοῖρ' ὀλοή, πρὶν ἰούλοις πλῆσαῐ παρειάς.
οι. οἴμοῐ in epigr. pessimo Aezanis eff.:
n. 379 οἴμοῐ κλαίει σε τεκοῦσα, ἐπεὶ πολὺ φίλτατος ἦσο
πρόμοῐρον n. 577 in tit. Albano
v. 3 φωτὸς ἀφαρπασθεὶς πρόμοῐρον βρέφος ἐνδάδε [κεῖμαι
n. 657 πατρίδος ἐκ Ζμύρνης βροτοῐ μ' Εὐθαλέα καλέεσκον.
n. 722 in tit. Romano, sat incondito
.... ἦλθά σοῐ νῦν ἐπιγράψας.
ου. βοῦλῆς in tit. Phryg. infim. aet.:
n. 366 v. 2 τὸν πρώτιστον βοῦλῆς ἠδὲ πόληος ὅλης.
Frequentiora exstant *genetivorum in -ου* exempla:
n. 613 in tit. Romano saec. II
καὶ μετὰ τὸν θάνατον Μοῦσαί μοῦ τὸ σῶμα κρατοῦσιν
n. 713, 11 ἑξηκονταέτης γῦναῖκά τε μηδαμοῦ γήμας
n. 735 κόσμοῦ πλάνην προλιπὼν . . .
n. 1041 in fine ἐκφεύξῃ γὰρ νοῦσου χαλεπῆς . . . .
ubi sublata particula γὰρ iustus restituitur rhythmus: quamvis, cur quis versibus μονοστίχοις hanc vocem inseruerit, non perspicitur. Fortasse vulgaris forma νόσος ad diphthongum corripiendam adiuvit. — Per se intellegitur minime huc pertinere diphthongum, quae Latinae u brevis locum occupaverat, ut n. 622 πίστιν ἔχον ταβούλης = tabŭlae.

ευ. n. 350 in tit. fortasse Nicaeensi ceterum satis depravato v. 2 Ταρσέα ῥητιάριν δεῦτερον πᾶλον Μελάνιππον.

§ 2.

De brevium vocalium productione.

Multo frequentiora inveniuntur exempla syllabarum brevium productionis, quam correptionis longarum, quoniam epi-

grammatum poetae *brevium terminationum productionem* saepius admittebant. Ac primordia talis consuetudinis a sermonis epici notissimis exemplis haud dubie repetenda sunt. Quas enim eiusmodi licentias (ut opinabantur) apud Homerum exstare animadvertebant, eas non modo ipsi sibi assumpserunt, verum etiam, cum satis commodas ad versus componendos tales ambiguitates mensurae esse sentirent, alias ad voces ac terminationes transtulerunt. Sic accedente universa quantitatis inaequabilitate factum est, ut, cum ceterum eo inclinare soleat linguae senescentis aetas, ut plenae ac longae terminationes attenuentur atque corripiantur, hic exempla brevium vocalium productarum contrariam mutationem longe superarent. — Etiam in eo usum Homericum [1]) imitati sunt isti poetae, ut *ante liquidas et nasales λ, μ, ν, ϱ vocalium productionem* admittere adamarent. — Denique eis locis, quibus in *pentametri caesuram* incidit brevis syllaba, propter pausam accedentem productionem facilius excusabimus, praesertim cum etiam apud alios poetas elegiacos eandem licentiam interdum observamus. Quae igitur huc pertinent exempla, sub uno oculorum conspectu statim ponere malim, quam per singulas vocales dispergere.

n. 289 in Caria eff. I p. Chr. n. saec.
v. 4 *ὀκτωκαιδεκέτε̄ς | ἄνθος ὁμηλικίης*
n. 339 εἵμαρτο̄ πᾶσιν | οὐχὶ δ' ἐμοὶ δὲ μόνῳ
n. 366 Δόμνον ζήσαντᾱ | [πέντ'] ἐτέων δεκάδας

ubi litteram E ante *ἐτέων* numeri quinarii notam esse bene suspicatur Kaibel.

n. 367 v. 10 ..... *τύμβο̄ν | ἀλλ' ἀναγνοὺς πάριθι.*
n. 442, 2 *Γαυδέντιος πινυτο̄̀ς | ἄκρον ἔχων σοφίης*
n. 536 Tomis (litt. vulg.)
δαίμων ἀντ' ἐμέθε̄ν | ὤπασε γηροκόμους
n. 543 Thraciae tit. Christianus
εὐθυτάτην πίστιν | ἠδὲ φιλοξενίην
n. 555 Bononiae
ἐσθλὸς Ἀθηναῖο̄ς | ἐν θαλάμοιο τέλει
n. 566 Romae (II fere saec.)
τέρψε λιποῦσα πατρῑ̀ | πένθος ἀπειρέσιον

1) Cf. La Roche, Homerische Untersuchungen p. 49 sqq.

n. 877 Athenis: *Λολλιανὸν πληθὺς | εὐγενέων ἑτάρων*
n. 1075 Erythris in pessimo epigrammate:
μνημόσυνον τοῦτō | τοῖσιν ἐπεσσομένοις

Praeterea, ut hoc statim commemorem, *nomina propria* non solum ipsa a metro haud raro abhorrent, sed etiam eorum quae vel antecedant vel insequantur vocabulorum mensuram aliqua mutatione afficiunt. Hisce praemissis ad singula accedamus.

1. *α. Terminationum productarum* haec habeo exempla: *nominativi: n. 101* Athenis (litt. vulg. nisi quod semel ⊏ pro Σ)
Κῶς μέν μοι πατρὶς ἐστιν· ἐγὼ δ' ὄνομᾱ Νεῖκομήδης
n. 1068 tit. Syriacus Christ. aet.
v. 4 *καί ποτε τετραπόδων ὁποσᾱ μογέοντα δαμείη*
n. 674 ἐνθάδε κεῖμαῐ δάμᾱρ ὑπατοῦ ....
accusativi: n. 265 (Cretae in ins. litt. vulg. inscr.)
v. 5 *μναστῆρᾱ σὺ δέδεξαι ἐπίφθονον ....*
n. 350 φασὶν δ' Ἡρακλέᾱ δύο καὶ δέκα ἆθλα τελέσσαι
vocativi: n. 275 Amorgi saec. II vel III
Νείκην ἐνθάδ' ὁρᾷς παροδεῖτᾱ τήνδε θανοῦσαν
n. 288 Cypri in ins. eff., recentioris aetatis
κἂν τροχάδην βαίνῃς, φίλε ὦ παροδεῖτᾱ, βαιὸν ἐπίσχου
n. 687 Romae
τύμβον μὴ παρίδῃς παροδεῖτᾱ τῆς Ἀφροδίτης
praepositionis κ α τ ά: n. 243 Pergami
v. 13 *τοῖος καὶ νέκυς ὢν κεῖσο κατᾱ λεχέων*
n. 1041 πράξεις πάντα κατᾱ νοῦν· μηκέτι τρῦχε σεαυτόν
particulae ἀ λ λ ά: n. 452 prope Damam III saec.
v. 17 *ἀλλᾱ μιν παῖδάς τε ἑοὺς καὶ αἰδοίην παράκοιτιν*
γ έ ρ ᾱ τ α n. 1046
v. 29 *ἔμμεναι Αὐσονίων εὐ]ηγενέεσσι γέρᾱ[τ]α*

in lapide ΓΕΡΑΑ, sed alias etiam huius tituli litterulas a lapidario omissas esse monet Franz. Huius productionis cum rara exempla iam apud meliores poetas [1]) reperiantur, frequentius eam adhibuerunt recentiores ut in Anacreonticis 24, 1 *φύσις κέρᾱτα ταύροις*, Orph. fr. VI 24 *δύο χρύσεια κέρᾱτα.*

1) Cf. Soph. Trach. v. 518 cum Hermanni annot.

ἀγήρᾱτος forma ceterum in pedestri sermone usitata pro ἀγήραντος: cuius ex similitudine fortasse etiam ἀγήρατος duobus locis longam perhibet vocalis mensuram:

n. 547 Caralibus Sardiniae I p. Chr. n. saec.

v. 3 ἡδυπνόου τε κρόκου καὶ ἀγηρᾶτου ἀμαράντου

n. 1084 Romae II fere saec. p. Chr. n.

v. 3 *Μουσέων φέγγος Ὅμηρον ἀγήρᾱτον*[1]) *στόμα κόσμου*

cum brevis syllaba retineatur n. 634 (Romae) *Παρθενὶς ἐνθάδε κεῖται ἀγήρᾰτος ἀθανάτη τε.* — *α privativum* quattuor locis producitur:

n. 285 Minoae (litt. ΑЄС)

ἔνθα βλέπεις τύνβον κενόν· ᾱ̓ταφος ὧδε γέγραμμαι

n. 978 Philis (Augusti aetate)

v. 1 *Καίσαρι παντομέδοντι καὶ ᾱ̓πείρων κρατέοντι*

n. 1041, v. 3 *ἐντεύξει σύ τ' ᾱ̓μέμπτως, ὧν ᾱ̓ν ἐπιθυμῇς*

n. 1069 Syriae in tit. Christiano

v. 2 *λαινέαισι πύλαις ᾱ̓πήμονα τέκνα φυλάσσων.*

Radicum vocales hisce locis producuntur:

n. 330 in tit. Mytilenis eff., ceterum incondito

ἧς ἐκ δᾱπᾱνῶν τύμβος ἔχει με κλυτός

n. 350 . . . δεῦτερον πᾱλον Μελάνιππον

n. 406, 3 ζεύγεσι καὶ δούλοις ᾱγαλλόμενός τ' ἐπὶ αὐτοῖς

n. 897 εἴθε σε καὶ χρυσέῳ ᾱ̓γάλματι ὧδε δυναίμην

n. 483 σῆμα τόδ' ἥρωος· πᾱτὴρ παρὰ ταῖσδε πύλαισιν

(cf. p. 3), cui accedit *n. 703* tit. Syriacus saec. II vel III

ὃν ποιεῖ πᾱτὴρ Πρόκλος Συρίης ἀπὸ γαίης

n. 735 μηδένα λυπήσας ὁμαλὸν βίον ὧδε διᾱγω

n. 887 Catanae

Ζωσιμιανείδην ᾱ̓γωνοθετῆρα Σέβηρον,

ubi bene respicienda est magna difficultas ex tribus hisce verbis, quorum nullum deesse poterat, orta.

n. 1003 senarius Memnonis statuae inscriptus

ἔγραψα ᾱ̓κούσασα τοῦδε Μέμνονος.

---

1) Etiam in archetypo huius carminis A. P. VII 6 haec forma haud dubie retinenda est (*ἀγήραντον* nunc editur) praeter codicum scripturam (Pal. *ἀγήρατον*, Plan. *ἀκήρατον*) duorum lapidum auctoritate firmata.

2. ι. In *casuum terminationibus* versantur exempla *dativi* [1]: *n. 313* in tit. Smyrnaeo infimae aet.

μηδὲ ἑνῖ· Κοπρίαν μ' ὠνόμασαν γενέται

n. 389 εἰδείῳ ἀνδρῖ θηροτρόφῳ . . .

n. 903a Hypaepis III vel IV saec.

v. 3 ἶσα Διὸς θέμιδι φαίνων χραίσμησιν ἅπασιν

n. 162 Athenis II p. Chr. n. saec.

v. 6 πᾶσιν ἀγγελέειν με παροῦσί τ' ἐπεσσομένοις τε

n. 357 Hadrianis (nota nomina)

Χρήσιμος ὀνόμασῖν Ἀλεξάνδρεια δὲ μήτηρ

n. 715 ἐν ἔτεσῖν ὀλίγοις λύπην κατέλιψε τεκοῦσι

n. 680 Romae

καὶ μησὶν τέτρασιν εἶτ' ἐνδέκατον πάλιν ἦμαρ.

accusativi: n. 441 (in Trachon.) II vel III saec.

v. 6 τεῦξε δέ μιν ὥριστος ἐν ἡμερίοισι Φίλιππος

n. 1095 in tabula Sartiana

. . . χ]ύσῖν ὅρκων ἐπιπωλεῖται δ' Ἀγαμέμνων.

vocativi unum, idque sequenti nomine excusatum *n. 1074* in tit. Phrygio

χαίροις χρυσόπολῖ Ἱεράπολι, πότνια Νυμφῶν.

Praepositionis ἐπί: n. 332 Pergami, III fere saec.

θηρσὶν ἐπῖ φοβεροῖς μνῆμα σαοφροσύνης

n. 367 μήτηρ δ' ἡ βαρυπενθὰς ἐπῖ τέκνου ταχυμοίρου.

Adiectivum ὁμοίιος duobus locis productionem passum est [2])

n. 307 (litt. ЄC)

Πάρδος ὁμοιείου τευξόμενος θανάτου

n. 444 (in Trachon.) III fere saec.

ὁππόταν αἶσα ἔλθῃσιν ὁμοιΐου θανάτοιο.

Metri necessitate excusatur tit. Olymp. II vel III saec.

n. 934 εὐπατρίδην Ῥόδιον συγκλητῖκῶν γενετῆρα.

Radicum productiones habes:

n. 266 Meli in ins. eff. infimae aetatis

κοινὸν φῶς ἴδοῦσα τὸ κοινὸν ἔχω τέλος αἰεί,

ubi de augmento (pro εἰδοῦσα) per soloecismum admisso pro-

---

1) Exempla Homerica vide La Roche, Hom. Untersuch. p. 49 annot. 1.

2) Cf. Hom. ὁμοιΐου πτολέμοιο *N* 358. σ 264. ω 542.

pterea non potest cogitari, quod totum epigramma haud ineleganter compositum est. Kaibel ἐςιδοῦσα poetam scribere voluisse suspicatur.

n. 389 εἰδείῳ ἀνδρὶ, simodo pro ἰδίῳ positum.

n. 522, 5 δῖχα μάχης ζήσας, ἐν συνβίοις δὲ πρόπασιν ex quibus hoc metro non minus excusatum quam in n. 609 (Aquileiae) saec. III v. 6 βῖολόγος

n. 919, 1 Τᾶτιανὸς μετὰ δικανικὴν τοῖς ἄρχουσιν ....

3. υ. Rarius producitur quam quas modo tractavimus vocales. Atque satis antiqua exstat mensurae ambiguitas in verbo λύειν. Nam cum primam longam futurum et aoristus regularem praebeant, ista mensura etiam in praesentis formis interdum invenitur (cf. Curt. Verb. I² p. 217), quod duobus demonstratur exemplis Homericis Ψ, 513 et η, 74, accedente arsis vi. Etiam in thesi composita, quae aliter in carmen dactylicum recipi non possint, producuntur β, 105 ἀλλύεσκον, 109 ἀλλύουσαν. Sic epigrammatum quoque exempla expediuntur:

n. 547, 7 ἥδε γὰρ, ἡνίκα πνεῦμα μελῶν ἀπέλῦε Φίλιππος

n. 1028, 55 ἀνλῦω· πλωτὰ δὲ φιλεύδιος Ἀμφιτρίτα

n. 1095 ... Ἕκτορι μουνομαχῖ καὶ νὺξ αὐτοὺς καταλῦει.

Denique huc pertinet *n. 1066* (prope Bostram)

ψυχῆς ἠδὲ κακῶν λῦτήριον ὄφρα πέλοιτο.

Etiam verbi φύειν (cf. Curt. Verb. I² p. 216) vocalis apud posteriores poetas saepius in arsi, interdum etiam in thesi producitur ut *n. 438* πάντα χθὼν φῦει καὶ ἔμπαλιν ἀμφικαλύπτει.

n. 284 (Amorgi in ins. eff.)

τοὔνομά μοι Τῦχη ἑξήκοντα ἐτῶν

n. 318 (prope Smyrnam. litt. ЄCꞶ)

σῦνζύγο[υ] παλάμα[ι]ς [κ]ι[μη]θὶς ἐνθάδε κῖ[με

n. 370 σῦνευνον χαλεπῷ πένθει τειρόμενον.

n. 903a ῦπάρχου πατρὸς ζηλῶν τρόπον ἠδ' ὑπάτοιο contra v. 4 υἱὸν ῦπάρχου.

4. ε. Hic primum *pronominum accusativi* et *II. decl. vocativi* respiciendi sunt:

n. 915 Athenis (post a. 380 p. Chr. n.)

ἀρχὸν ἐμὲ Θεόδωρον Ἀχαιῶν εἰκόνι τῇδε

n. 368, 5 καὶ γῇ σε κατέχει καὶ ἀνέκβατος ὅρμος ἔδησεν

n. 792 Athenis II fere p. Chr. n. saec.

Ὑψιμέδων ὕπατε̄[1]), πάτερ εἰρήνης βαθυκάρπου.

Ex verbi terminationibus sola memoranda est *II pers. plur. act.*, quae cum III sing. med. non modo scriptura sed etiam quantitate confunditur, ut in tit. Romano III fere saec. *n. 588*

v. 7 πάνθ' ὑπολανθάνετε̄ τὰ βίου συνεχῶς μυστήρια...

Praeterea *particularum* in -ε desinentium pauca huc pertinent exempla, ex quibus summa vetustate eminet tit. Att. VI saec. *n. 9*

σῆμα τόδε̄ Κύλων παίδοι[ν] ἐπέθηκε θανό[ν]τοι[ν.

Fortasse usitata erat tituli sepulcralis forma nomini alius quantitatis proprie adaptata.

n. 358 in tit. Bithynio

ἐνθάδε̄ κεῖμε σήματι τῶν γενετῶν,

ubi inter prima verba archetypi fortasse a poeta adhibiti aliquam vocem, qua versus compleretur, ab auctore nostri epigrammatis omissam possis suspicari.

Magna scripturae depravatio productionem minus rectam in barbaro epigr. Berrhoeae sublevabat *n. 527*

ᾧ οὔται πέδων γένος μετόπισθε φανῖτε.

Praepositionis ἐν productionem

n. 920 τὸν σοφὸν ἐ̄ν ἀνδράσιν .....

forma epica εἰν adhibita evitari poterat.

Augmenti vocalem haud raro productam animadvertimus, ut *n. 604* (Romae, saec. II)

Μαρκιανὸς δέ μ' ἔθαψε | καὶ ἐ̄κήδευσεν ὁδῖται.

n. 1019 Thebis in syringe inscr.

τὴν δὲ μάλιστ' ὁρόων ἐ̄θαύμασα Μέμνονος ἐσθλήν

n. 1064 in tit. Constantinopol. Christ. aet.

ἄλλοι μὲν βασιλεῖς ἐ̄τιμήσαντο θανόντας. —

n. 173 in tit. Christ. arcis Athen.

v. 18 ..... ην κατέχι Κέκροπος ἧδε.

n. 365 Cotiaei III fere saec.

v. 2 μήτηρ πρωτογόνῳ ἕτερον παῖδ' οὐκ ἔ̄χουσα,

---

1) Prorsus gemina exempla productionis hac in caesura admissae habes in locis Homericis *Δ* 155, *E* 359.

sic in lapide: num invito poeta, quae est Kaibelii sententia lapidarius *οὐκ* pro *οὐκέτ'* insculpserit, in tanta huius potissimum urbis epigrammatum labe dubium videtur.

n. 620 Romae III fere saec.

v. 7 *τεῦξα τάφον· ζήσας δὲ ἐτῶν κῖμαι ἕπτακι δ έ κ α*

n, 662 in tit. Romano

κεῖμαι Σόεμος ἀνὴρ βιότητα νέος τ ε λ έ σ σ α ς

n. 681 in tit. Romano I vel II saec.

v. 4 *πεντήκοντα γάμων δ' ἔ τ ε α πλησαμένη,*

memorabile, quod v. 3 et 5 iustam mensuram habemus.

5. *o. Nominativi et accusativi decl. II* hic reliqua exempla superant frequentia.

n. 95 Athenis III a. Chr. n. saec.

..... *ὃς ἀπὸ μητρὸς ἐμῆς καὶ πατρὸς ἄπιμι*

n. 303 Smyrnae (litt. ornatis ΑΩΣ)

μήθ' ὡς ὠκύμορος ἵνα γηράσαντά σε πολλοί

n. 347 υἱὸς Εὐσεβίης μητέρα τὴν ἰδίαν

n. 452 v. 16 *χάρματα τοῖσδε κακοῖς εὑρ[ά]μενος ἰδύνας*

n. 587 Urbini

μήπω γευσάμενος ἥβης ὤλισθον ἐς Ἄιδου

n. 840 prope Ascaphum Germaniae

εὐξάμενος ἀνέθηκα Γενίου εἰκόνα σεμνήν

n. 321 γηθοσύνῃ Δήμητρος ἀγαλλόμενον ἐχέτλησι

n. 334 v. 15 *σὺν πατρὶ δυσστήνῳ βά[λλ]ο[ν] ἐ[μ]ὸν ὀλέτην*

n. 521 γευσάμενον· ἀθιγὴς δ' ἔλιπον φάος ἠελίοιο,

cuius exempli propriam rationem mox perspiciemus.

n. 526 ἔνθα νέκυς κεῖμαι Φιλήρεμος ὃν ἐποίησαν

n. 624 Capreis in ins.

οἳ στύγιον χῶρον ὑποναίετε δαίμονες ἐσθλοί

n. 1073 Samo in ins. IV vel V saec.

v. 4 *καί τιν' ἀμηχανίης εὗρε πόρον ὕδασιν*

n. 440 Namarae Batanaeorum

μίλιον ἠδὲ Τύχης ἱερὸν ἀνάθημ ἅμα θέντων

n. 442 ...... *μνημεῖον ἐτέλεσ(σ)εν*

n. 350 αὐτὰρ ἐγὼ τελέσας τρισκαίδεκα τὸ τέλος ἔσχον

n. 611 in tit. prope Romam reperto

υἷε δύο Μακάριν Τατιανόν τε κάσιν

n. 522, v. 13 ἀθάνατōς ὕψου πωτωμένῃ πάντ' ἐπακούει
n. 339, v. 2 εἵμαρτō πᾶσιν, οὐχὶ δ' ἐμοὶ δὲ μόνον.

Mirum et scripturae et mensurae consensum observamus inter formam n. 451 ἀμύμῶσιν et n. 594 (IV fere saec.) μάρτυρα Φοῖβον ἀμύμ[ω]σιν σελίδεσσι χαράξας, ubi ipso lapide inspecto Kaibel in eis quae vulgo traduntur AMYMNICIN, litteras NI ex Ш posse corruptas esse testatur. Accedit tertium exemplum, cuius de scriptura, cum ex frequenti huius aetatis more Latinis litteris [1]) epigramma Graecum perscriptum sit, nil certi statuere licet. Id autem ipsum, quod scribendo vocalis longa a brevi non seiungebatur, haud dubie brevis productionem expediit. Tit. est Romanus *n. 636*

μητέρα τὴν εὔτεκνον· εὐδαίμōνες παροδῖται.

n. 841 tit. Thrac. a. 149 p. Chr. n.

v. 3 Κλαυδιανοῦ πρὸ δόμοισι σοφōτεχνήιες ἄνδρες.

n. 167 in tit. ad Olympum reperto, ceterum sat incondito

v. 1 μεῖνον ἄκουσον ἐμοῦ, ὁδοιπόρε τίς ποτ' ἔφυ με

ubi formam παροδοιπόρε auctor non noverat. Eadem condicio est tit. Romani *n. 613*

v. 4 πολλὰ βυθοῖσι καμὼν ὁδοιπορίες δ' ἀτονήσας.

Non minus mirandum est, quod auctor tit. Chaeroneensis, qui sic in lapide exstat (*n. 503*)

χαίροις Σώτηρε̄ καὶ ἐν θνητοῖς πōθητέ,

non interiectione ὦ ante nomen et forma θνητοῖσι illata metrum sustentavit.

n. 545, v. 1 τῆςδε πάτρης τάφος ὅδε φιλόξενον ἐντὸς ἐέργι
n. 919, v. 13 οὕνεκ' ἀπειρεσίους πόνους ἐξήνυσεν ἀρχαῖς.

§ 3.

De positione neglecta.

Quamquam singula positionis neglectae exempla iam in antecedentibus passim memoravimus, potiora hic in unum colligenda censuimus. In quibus, ut ante, *nominum propriorum* potissimum ratio habenda est, quae, etiamsi ipsa ad mensuram dactylicam quadrarent, tamen coniuncta cum verbis

1) Cf. e. g. CIL. IV, n. 2400a = Kaib. 1124.

antecedentibus quae in consonam exirent, vel sequentibus, quae a consona inciperent, difficultatem poetis saepius parabant. Quae quanta fuerit ut commode perspicias, exempla huc pertinentia praemittamus.

n. 299 Erythris. (litt. vulg.)

εὐσεβὲς εἰς θρέψασᾰν Διοκλῆ ὁσιώτατε πάντων,

ubi num recte τὴν in versus fine post εἰς addiderit Boeckh, nisi lapide denuo inspecto non potest disceptari.

n. 320 Thyatiris

a. 5 μῆτĕ[ρ] Μελιτίνη, θρῆνον λίπε, παῦε γόοιο

b. 2 μητρ]ὸς Μελιτίνης

n. 354 Prusiade (si recte suppletum est epigr.)

ἡ]ρώων προγόνων [κοσμήτ]ορα [θεῖ]ŏν Πα[υλεῖνον

n. 333 a Pergami

v. 2 οὔνομά μοι Χρηστεῖνŏς τὸ πρὶν, ἀνέθρεψε δὲ γαῖα

n. 395 Amasiae (litt. vulg.)

v. 8 τιμήεις Χρόνιŏς υἱŏς τε Πŏλυχρόνιος

n. 402 Sebastopoli Galatiae

v. 4 ἐνθάδε Μάξιμŏν γραμματικῆς ἐπιίστορα τέχνης

n. 422 Ceo in ins. V saec. vix recentius

σκῆνος μέν σοι τῇδε διοτρεφĕ̀ς Ζωσιμιανέ

n. 450 in Batanaeis II saec. vix recentius (senar.)

Σάδŏς νεοπολίτης οἰκοδόμησεν εὐτυχῶς

n. 550 Romae II vel III saec.

μύρονται δ' ἀδĕλφοὶ Μηνᾶς καὶ Δάψιλος ἄμφω

n. 1088 Romae

εἰμὶ δ' ἀφ' Ἡρακλέος Διὸς ἔκγονος υἱŏς Φιλίππου.

Reliqua exempla haec sunt:

n. 169 Athenis (litt. vulg. sed epigr. infim. aet.)

ἥ ποτε κυδιόωσᾰ ξανθαῖς ἐπὶ κρατὸς ἐθίραις

n. 173 Ath. saec. IV vel V ... ἀπίρονα δῶκᾰς πολίταις

n. 212 Syri saec. I sive a. sive p. Chr. n.

ἅδ' ἀρετὰν στέρξασα καὶ ἔνδικα λέκτρᾰ ξυνεύνου

ubi vocis ξυνεύνου lectionem minime dubiam esse expressis verbis testatur Kaibel.

n. 267 Pholegandri, ubi versum facere voluit auctor

.... μνείας χάρῐν ταῦτ' ἐχάραξα

n. 324 in Thaso ἀλλὰ τρισκαιδεκάτου ...
n. 361 (Phryg.) πάντων γὰρ φίλος ἐσθλὸ̆ς πάτρης
n. 422 ... φ[ιλ]έεσκὲ̆ς ποθ[ε]ύμ[ενος ...
n. 433 in Batanaeis, II fere saec. εὔδεις ὡ̆ς ἔτῐ ζῶν ...
n. 435 in Trachon. II v. III saec. v. 4 εἰκόνᾰς σῆς ἀρετῆς
n. 449 εὐδαίμονᾰς τεκνώσαντας·
n. 526 καὶ ἀπήγαγᾰν δαίμονες ...
n. 587 ἑπτὰ μόνους λυκάβαντᾰς δύω καὶ μῆνας ἔζησα
n. 594 (apud Romam) IV saec. vix antiquius
ἐκ ῥεθέων ἅμᾰ στείχων σεμνὸν ἔβη Διὸς οἶκον
n. 625 in equi tit. sepulcrali III vel IV saec.
ποσ(σ)άκις ἐστέφθη δρόμὸ̆ν; — πολλάκις. — τίς δ' ἔλαέν μιν·
n. 664 Massiliae in tit. saec. II p. Chr. n. χηρίᾰν δυστήνου
n. 678 Romae τῶν οἴκαδε τὴν ἀρῐζηλον.
n. 832 in tit. Romano a. 299 p. Chr. n.
νηὸ̆ν μὲν σιγαλόεντα Σαράπιδος ὑ̆ψιμέδοντος
n. 892 Epidauri (litt. CΛѠ)
εἰκόνι τῇδε γέρηρᾰν θεῶν βουλαῖον ἀνάκτων
ubi minus recte Kaibel: poeta ni fallor voluerat γέρηρε; nam respicit auctor ad v. 2
βουλὴ καὶ δῆμος, ναέται ζαθέης Ἐπιδαύρου.
n. 919 v. 1 τοῖς ἄρχουσιν σῠνκαθεσθείς
n. 981 καὶ πέμψαις ἡ̆μᾶς σώους ἐς Κρόνου ἐμπόριον
n. 1115 Lugduni
ὁ φθόνος ὡς κακόν ἐστιν· ἔχι γὰρ τι καλὸν ἐν αὐτῷ
cuius versus A. P. XI, 193 servati cum prior pars, qualis in codice legitur (ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστος) lapidis scriptura eleganter reficiatur, posterioris vitium quod in lapide exstat metricum invicem codice emendatur, qui δὲ pro γὰρ praebeat, ut recte perspexerunt editores.
n. 1064, 5 Χριστοῦ παμμεδέοντὸ̆ς τὸν οὐ πυρὸς ....
n. 1109 Argis γελάει μόνὸ̆ν καὶ τάχα δώσει.
n. 1126 τόσσὸ̆ν μεισηθείης, de quo loco cf. Kaib. annot.

Restant exempla ad *ν ephelcysticon* pertinentia, de quibus paulo uberius exponendum videtur. Primum enim exempla exstant, in quibus littera illa paragogica ante consonantem

sequentem inserta eam syllabam producat, quam brevem esse metrum exposcit.

n. 189 Meli in ins. eff. III a. Chr. n. saec. φροντίσιν θαητόν
n. 270 in tit. infim. aet. σοὶ θέμις ἐστὶν δόμων
n. 402, v. 1 ἐν οὔρεσῐν παρθένον ἁγνήν
v. 2 τὸ πάροιθε̆ν νῦν αὐδήεσσαν ἅπασιν
n. 545 (p. 528) τίς Πλάταιαν σύλησε̆ν; τίς ὤλεσε
n. 616 ἥρμοσε̆ν τοὔνομ' ἐμόν
n. 726 Romae saec. III vel IV
v. 9 ζώει μὲν ζωοῖσῐν, θάνεν δὲ θανοῦσιν ἀληθῶς
n. 880 Cyzici III p. Chr. n. saec.
v. 3 εἰκόνα ἐξετέλεσσε̆ν καὶ εἴσατο . . .
n. 903 a, v. 5 Ἰσίδωρον ἐν ἰκόσῐν μαρμαρέῃσιν.

Contra aliis locis syllaba producta, quae metro flagitatur, addita littera ν facillime effici poterat, ut

n. 189, v. 3 ἰσόμοιρον ἔθηκε̄ τὰν ὁμόλεκτρον
ἥρωσι φίλτρων εἵνεκα τερπνοτάτων.

n. 248 in tit. Phrygio v. 5 ἐστῑ Θυάτειρα, in lapidibus exstant. Quibus si hoc unum addimus, quod ex omnibus, quae supra enumeravimus positionis neglectae vestigia (triginta tria), undecim ad syllabas pertinent in litteram ν exeuntes, summa probabilitate concludimus litterae ν pronuntiationem in fine vocabulorum posteriore aetate adeo deminutam esse ac debilitatam, ut modo non evanesceret atque etiam in scriptura facile omitteretur, interdum etiam vocibus, a quibus prorsus aliena esset, falso adderetur.[1]) Quanti autem momenti haec observatio sit ad aliam recentioris ac vulgaris graecitatis proprietatem explicandam mox videbimus.

Iam si omnia, quae hoc capite exposuimus perlustramus, dilucidissime apparet ut itacismi, sic etiam quantitatis minus

1) Huius rei memorabile exemplum recte, ut mihi quidem videtur, Kaibel observavit
n. 674, 3 ἣν δὲ κεν ἐκ προγόνων ποτὲ τοὔνομα Πουβλιανή μοι
ubi KEN lapicidae putat errorem pro κὲ i. q. καί; cui addo miram quandam barbariem quae in titulis Iudaeis observatur. Namque vulgata scri-

regularis pleraque exempla non tam ipsorum Graecorum in titulis, quam aliarum gentium ut Syrorum Bithynorum Phrygum ipsorumque Romanorum in inscriptionibus reperiri.

Cap. III.

De aliis licentiis aut prosodiacis aut metricis.

Cum ad quaestiones grammaticas disceptandas singulorum epigrammatum rationem metricam tantopere pertinere saepius animadverterimus, ut nullo modo ab eis possit separari, uberiorem de universa epigrammatum indole metrica, quae quidem minus legitima sit, hoc capite instituere nobis proposuimus, ut in unum cogantur singulae quaestiunculae multae, quae diversis locis insertae rerum conexum aegre interrupissent, ac facilius perspiciatur, quanta omnino exsistat depravatio metri in magna epigrammatum parte. Ac primum quidem, cum in horum carminum metro describendo a disticho elegiaco proficiscendum esse initio viderimus, qua ratione hanc singulorum hexametrorum et pentametrorum alternam vicem perturbaverit posterioris aevi consuetudo, inquirendum est.[1]) Tum varia depravationum genera, quibus singuli versus haud raro afflictati sunt, perlustremus. Deinde eis de rebus, quarum enarratio metro astricta sat magnas difficultates poetis parabat, ut de personarum nominibus annis muneribus, pauca verba facienda sunt.

§ 1.

De legitimo distichi elegiaci ordine perturbato.

Quamvis in alternis vicibus hexametri et pentametri tota distichi proprietas ac natura posita sit, tamen mutationum pri-

---

ptura *κῖτε* pro *κεῖται* eo inducti sunt infimae aetatis homines, ut activam praeteriti formam eam esse arbitrarentur, quam littera *ν* paragogica atque ipso augmento passim instruerent. Sic expediuntur talia monstra, qualia leguntur CIG. IV, n. 9917 *ἐνθάδε κῖτεν* et 9910 *ἐνθάδε ἔκειθεν*.

1) Ceterum quaerenti, quae, praeter hexametros ac disticha, metra adhibuerint epigrammatum poetae, inspiciatur *tabula metrorum* a Kaibelio composita (p. 701 sqq.), ex qua etiam singulorum generum frequentia tam facile cognoscitur, ut de eis vix habeam quae addam.

mordia a temporibus satis antiquis repetuntur, cum posterior et infima aetas frequentissima exempla protulerit. Quorum accuratam enumerationem conficere hic nostrum non est (haec enim apud Kaibelium parata est): nobis in rationem huius licentiae, quantum fieri potest, inquirendum videtur.

1. Ut ab externa epigrammatum specie ordiamur, multi inveniuntur tituli sepulcrales, qui ex duobus tribusve constent epigrammatis inter se sive disiunctis sive disiungendis. Namque haud ita pauci quasi ipsi admonent, ne male iungamus diversa carmina, sive spatium inter singula intermissum est (ut n. 569), in quo interdum ipse cautus lapidarius vocem *Ἄλλο* posuit (ut n. 550. 981), seu litterarum forma et magnitudo mutata est, seu ad aliud metrum transiit poeta, ut senariis opponuntur disticha n. 646, ut duo carmina ex binis hexametris composita (quae Boeckh bene distinxit) a senariis excipiuntur n. 807, ut senarii disticha hexametri deinceps inducuntur n. 462. Prae ceteris ea nobis inspicienda sunt exempla, ubi singuli versus carminibus absolutis aut spatio intermisso adduntur, ut n. 750. 806, aut a reliquorum versuum margine paulum revocantur, ut n. 325 (b), 751. Talibus ab exemplis profecti editores similem distinctionem etiam aliis inscriptionibus suo iure adhibuerunt. Quamquam etiam in libro Kaibeliano pauca quaedam exstare video epigrammata nondum recte disiuncta. Sic imprimis tit. Christianum *n. 725* ut in duo carmina dividamus cum res tractatae suadent, tum exposcit condicio metrica. Nam si a v. 7 novum epigramma incipere statuimus, duo habemus carmina, ex quibus alterum tribus distichis compositum universam amplectitur contemplationem de Christi (*ἰχθύος*) clementia ac benignitate, quae aeternam sapientiae aquam dulcissimumque cibum praebeat sitientibus esurientibusque, alterum, ubi quattuor hexametris unus tamquam clausula additus est pentameter, rursus a piscis invocatione profectum parentum mortuorum laudem continet a filii pietate prolatam. Talia igitur epigrammata non tantopere a normali versuum ordine recedunt, quam Kaibelii tabula inspecta suspicari possis.

2. Non minus accurate a reliquis ea secernenda sunt

exempla, in quibus usitati metri mutationem consulto a poeta institutam esse animadvertimus. Primum enim, ut hexameter cum pentametro coniunctus stropham quandam exigui ambitus efficit, cuius clausulam versum minorem esse apparet, sic ab aetate satis vetusta epigrammatum poetas carminibus hexametris, quo gravior ac magnificentior exsistat exitus, singulos pentametros in fine addidisse ex lapidibus discimus. A distichi autem forma hunc usum ortum esse inde patet, quod antiquioris quidem aetatis poetae duobus tantum tribusve hexametris pentametrum adiunxerunt. Duobus versibus heroicis subiectum pentametrum habemus in tit. Attico IV a. Chr. n. saec. n. 52, tribus n. 844 in tit. Att. a. fere 375 et n. 850 saec. IV exeuntis vel III ineuntis et n. 84a (litt. ΠΣ). In universum prioris generis duodecim [1]), totidemque posterioris inveniuntur exempla. [2]) Posteriore autem aetate cuivis hexametrorum numero pentametros adiunxerunt poetae, ut in epigrammatis nostris carmina quattuor, quinque, sex, septem, octo, atque etiam quindecim versuum heroicorum pentametris in fine additis eminent. Tantopere autem poetae quidam adamaverunt talem clausulam, ut etiam duos vel tres pentametros carminibus subiungerent. Sic singulis hexametris subiectos duos pentametros videmus n. 481a et 689b (uterque tit. in Mus. Rhen. XXXIV), tres n. 113, item duobus hexametris pentametros duos n. 278, tres n. 74. 168, tribus denique tres n. 933. — Id ipsum, quod posterioris aetatis poetarum arti quaesitae nimis tritum et obsoletum cottidiano usu videbatur hoc metrum, cuius eximiam pulchritudinem non iam poterant tanti, quanti par erat, aestimare ac diligere, aliarum etiam mutationum

1) Etiam in litteris Latinis praeter titulos quosdam sepulcrales huius potissimum formae memorabilia exstant exempla apud Petronium c. 34 et 55, cuius Trimalchio, ut est amantissimus rerum insolitarum et artificiosarum, hoc quoque carminum genus in deliciis habuit. Alia carmina Latina minus regulariter formata exstant e. g. CIL. IV 1824 ubi disticho duo hexametri, Inscr. Lat. (ed. Orelli) n. 4851 ubi disticho unus versus heroicus, et n. 7411 ubi duobus hexametris duo disticha supposita sunt.

2) Numeros vide in Kaibelii tabula, cui accedunt duo Supplementi epigrammata (Mus. Rhen.), alterius formae n. 313a, alterius n. 84a et tit. Olymp. Arch. Ztg. 1879. p. 151 (cf. A. P. XIII, 15, 16).

causa exstitit. Sic soli rerum novarum studio eique ineptissimo tribuendum est, quod poetae quidam non modo ordine inverso, verum etiam propria versuum natura prorsus deleta ab ipso pentametro carmina incipere maluerunt[1]), quae quam ridicule procedant exempla docent n. 701 distichi hac ratione transpositi et n. 715 pentametri duobus hexametris praemissi. Quid quod eo usque ineptiarum progressi sunt, ut ex meris pentametris titulos componerent[2]) n. 510 et 605 utrumque admodum recentem, foedissimamque lucernae inscriptionem n. 1131, quae uno constat pentametro.[3]) Inde etiam explicatur, quod duobus in titulis pentametri inserti mirum in modum sermonis pedestris continuitatem interrumpunt n. 326 et 1090.[4]) — Nec vero mutato versuum ordine satis habebant, sed etiam metra aliena sic in disticha inculcaverunt, ut pentametri praecipue locum eis concederent. Atque quae necessitate quadam coacti poetae mutaverint, postea tractabimus: hic ea tantum curamus, quae solo novandi studio ad formam metricam variandam sibi assumpserunt. Inde enim factum esse censeo, ut metrum pythiambicum, compositum ex hexametro et trimetro iambico, quod ceterum usu Horatiano (epod. XVI) notum est, adhibuerint epigrammatum poetae. Huc refero tit. Atticum n. 762 sat antiquum[5]), n. 883, n. 282 (litt. EWEA), ubi duo senarii hexametrum secuntur. Utrumque coniunxit auctor epigr. Rom. saec. I vel II

1) Cf. Ath. XIII 602 C et XV 669 D, ubi Dionysii Chalci carmen sic formatum (Bergk, Lyr. II⁴ p. 262) affert.

2) Cf. Philippi carmen ex quinque pentametris compositum A. P. XIII 1.

3) Cf. similem titulum a Puchsteinio (Diss. Argent.) editum, n. XXVII D, ubi pentametro pauca verba prosae orationis addita sunt:

Πανὶ χάριν σωθεὶς Εὐτυχίδης ἔθετο.
ἐκ Τρωγοδυτῶν.

4) Singulos versus aut versuum particulas haud raro pedestrem in sermonem intulerunt poetae, ut n. 264 a (litt. ЄCⲰ) verba *πᾶσιν ἐν ἀνθρώποισι φίλην* 'tamquam ex noto aliquo carmine citata' (Kaib. Mus. Rhen. XXXIV p. 184), et totum trimetrum Lebas et Wadd. Voyage arch. n. 1774 (laudatum in libri Kaibeliani recensione Phil. Anzeiger XI).

5) Quamquam de huius poematis auctore satis inscito certi quid affirmare nolim.

n. 641 *Μάγνης ἐκ Φρυγίης· Σκυθίη δέ με παρθένος ἁγνή*
ἔτρεφ' ἐλαιηρῷ Μανθίῳ ἐν πεδίῳ,
παλίσκιον λιπόντα Μαγνήτων πόλιν.

Sed etiam alia interdum temptaverunt poetae, ut *n. 154* (litt. vulg.) pentametrorum locum usurpaverunt dimetri iambici, qui in sequentis quoque carminis uno versu inveniuntur. Alexandrinam artem haec atque talia redolere apparet ex *Theocriti* epigrammatis, quae similium mutationum exempla praebeant; cf. epigr. VII, VIII et ex dubiis spuriisque XXIII et XXIV (ed. Ahrens).

3. Nec vero solum in fine carminum singuli leguntur pentametri, sed etiam multa exstant epigrammata, in quibus hexametri et pentametri, soluti a distichi lege, temere inter se commixti sunt. Hanc autem plenam perturbationem complures causas diversis ex partibus ortas adiuvisse et auxisse censeo, quas nunc deinceps pertractemus.

Ac primum quidem *nomina propria* memoranda sunt, quae cum ad pentametrum aut aegre aut prorsus non quadrarent, hexametro facilius inseri poterant. Sic explicatur, cur epigr. n. 481 b (Mus. Rhen. XXXIV, p. 184) auctor tribus distichis praemiserit duos versus heroicos, quorum alter hic est:

μάτηρ ἐξετέκνωσεν Ἀριστοκράτει' Ἐχενίκαν.

Idem cadit in tit. Thebanum *n. 490*, ubi post distichon duo leguntur hexametri sic exeuntes

v. 4 *πάππου] δ' εἰμὶ Εὐανορίδα, πατρὸς δὲ Νέωνος.*

Non ipsa nomina sed hominis defuncti senectus describenda aliquam difficultatem paravisse videtur poetae barbaro epigr. *n. 120*, in quo cum post duos hexametros quattuor disticha legantur, haec continet v. 2

ὀγδοήκοντα δυσὶν ἔτεσιν [βιοτὴν ἀπέλυσα.

In universum noli mirari, quod pauca tantummodo exempla huc pertinent: multo enim saepius nomina, id quod postea exemplis erit demonstrandum, non modo pentametro, sed ne hexametro quidem apta erant, ut ad prorsus aliena metra refugiendum esset poetis.

4. Iam ad eam pervenimus explicandi rationem, qua iam in quaestionibus de epigrammatum dialecto multa inexplicabilia

quae videbantur satis facili opera expedivimus. Nimirum etiam ad metricam singulorum epigrammatum formam ac speciem constituendam mirum quantum valuerunt *loci aliunde asciti* et cum eis, quae suo quisque Marte confecerat, conglutinati. Hic ad argumenta carminum animum praecipue attendere opus est, quibus praeter metricam condicionem disceptandum sit, num quid aliunde illatum censeamus. Postquam enim iam supra (cf. p. 29) demonstravimus, quam misere saepius insulsi epigrammatum auctores cum pannis undique congestis nominum vitaeque defunctorum enarrationem consuerint, posse quidem plerisque quae inveniantur locis communibus similem suspicionem adhiberi nemo negabit. Age iam singulis exemplis expositis comprobemus, quam egregie multis locis talis ratiocinatio congruat cum versuum ordine minus legitimo! — Proficiscendum autem est ab exemplis simplicissimis, in quibus aut communi cuidam sententiae adhaereant versus, quibus personarum res ac nomina memorantur, aut praemissis eis, quae ad hominis defuncti fata proprie pertinent, sequatur locus aliunde petitus. Sic in tit. Att. IV vel III a. Chr. n. saec. *n. 75* res tam aperta est ut nihil addere opus sit:

Πολλὰ μεθ' ἡλικίας ὁμοήλικος ἥδέα παίσας
ἐκ γαίης βλαστὼν γαῖα πάλιν γέγονα.
εἰμὶ δ' Ἀριστοκλῆς Πειραιεὺς, παῖς δὲ Μένωνος.

Eadem explicatio adhibenda videtur epigr. Att. IV. fere saec. *n. 90*, ubi a duobus hexametris excipitur distichon.

n. 1007 in Memnonis statua incisum:

Εἰ καὶ λωβητῆρες ἐλυμήναντο δέμας σόν,
ἀλλὰ σύ γ' αὐδήεις, ὡς κλύον αὐτὸς ἐγώ.
Μέττιος ὦ Μέμνον, Παίων τάδ' ἔγραψε Σιδήτης.

haud dubie huc pertinet. Quamquam enim in hoc similibusque titulis non semper licet affirmare versus ex certo quodam carmine verbotenus translatos esse, tamen eandem observamus rationem, ut poeta communem contemplationem [1]) accurate seiungat a suae personae notitia atque inde explicetur versuum ordo minus regularis. Cum hoc autem titulo exemplum omnium

1) Fortasse usitata erat formula in Memnonis honorem quondam composita.

lepidissimum artissime cohaeret. Sententiae enim n. 1007 expressae novitate ac magnificentia adeo delectatus est miles quidam optimus, ut integro disticho, quod fortasse non sine magno labore ad salutandum Memnonem ante composuerat, temere praemitteret primum illius carminis versum, unde ridiculus hic atque monstrosus evasit sententiarum conexus, *n. 1008*:

Εἰ καὶ λωβητῆρες ἐλυμήναντο δέμας σόν —
θειοτάτου νύκτωρ ὀμφὴν ἐπὶ Μέμνονος ἦλθον,
ἔκλυον ἧς Κάτουλος ταγὸς ὁ Θηβαίδος.

Maximae vehementissimaeque preces, ut paululum insistat viator atque quisnam hic sepultus sit, ex lapide cognoscat, tam saepe epigrammatum initio repetuntur, ut non dubitaverim, quin epigr. *n. 388* primum distichon

Βαιὸν μεῖνον, ξεῖνε, καὶ ὕστερον ἔνθα πορεύσῃ
μὴ προλιπὼν στήλλην, ἀλλὰ μαθὼν τί λέγει.

aliunde illatum sit, cum in sequentibus versibus pessimis, quos hexametros cum pentametri clausula esse voluit auctor, adiuncta sit Narcissi mortui memoria. Simili ratione Kaibel de epigr. n. 288 primo versu hypermetro

Κἂν τροχάδην βαίνῃς, φίλε ὦ παροδεῖτα
βαιὸν ἐπίσχου

sic recte iudicat: Versu primo male adsuto exemplum bonum corruptum est.

Alii ad illustranda atque exornanda epigrammata sua *in fine* versiculum quendam adiciebant pulchra ac magnifica sententia impletum, quam ad excogitandam non satis valebant ipsorum ingenia. Sic in tit. Att. II vel III saec. *n. 144* duobus distichis, quibus mulieris defunctae laudes praedicantur unus subiectus est pentameter: *μοίρης μοι φθονερὸς τοῦτ' ἐπέκλωσε μίτος,* cuius simillimi multorum titulorum in fine repeiuntur, ut

n. 113 *οὕτω γὰρ μοῖραι κλωστὸν ἔθεντο μίτον*
n. 127 *μοιρῶν γὰρ ἄνισος τοῦτ' ἐπέκλωσεν μίτος* [1])

Prorsus eadem ratio est tit. Romani *n. 589,* qui post distichon

1) Quem versiculum proprie pentametrum fuisse (cf. n. 144), deinde autem mutato epitheto et littera *ν* voci *ἐπέκλωσε* addita ad senariorum usum conversum esse possis suspicari. Nam ista omnia, quae iterum

eundem perhibet pentametrum, quem etiam in tit. Att. n. 132 duobus hexametris subiectum invenimus:

κεῖμαι τῷ θανάτῳ μηδὲν ὀφειλόμενος

et *n. 325*, ubi quinque distichis praemissis hic legitur pentameter:

ἀιδίου μνήμης τύμβον ἐπαι[ρόμεθα.

Sic etiam *n. 296* hexameter disticho subiectus explicandus videtur:

ἀσπάζεσθ' ἥρωα τὸν οὐκ ἐδαμάσσατο λύπη.

Paulo difficilior exsistit quaestio de eis epigrammatis, quorum auctores non satis habuerunt aliorum versus carminibus suis sive praemittere sive in fine addere, sed maiorem confusionem ita effecerunt, ut *aut in media aliorum carmina singulos versus de suo insererent, aut eadem ratione sua in epigrammata alienos versiculos temere inferrent.* Ut ab exemplo apertissimo ordiamur titulum memoro *n. 192*, cuius cum sic interrumpatur regularis ordo, ut in mediis distichis duo hexametri a duobus excipiantur pentametris, facillime cognoscitur (id quod primus perspexit Kaibel) duobus versibus 3 et 4, quorum alter nomen alter aetatem defuncti indicat, insertis eum qui posuit monumentum corrupisse bonum carmen alius poetae. Latius patet exemplum epigr. *n. 371*, cuius archetypum (cf. Kaib. annot.), quod integrum fere exstat in tit. Romano *n. 576* ac multis modis depravatum atque mutatum etiam epigrammatis n. 575, 576a (Mus. Rhen. XXXIV), 577[1]), 578 suppositum est, ita adhibuit auctor, ut primum versum eis quos ipse composuit sat inconditis praemitteret, secundum toti epigrammati infra adderet. Quam ridicula autem ratione homo quidam insulsus celeberrimum archetypum, ipsius Simonidis carmen A. P. VII, 296, suum in usum converterit, exposuit Kaibel ad *n. 768* (epigr. Xanthium IV a. Chr. n. saec.). Ille enim poeta primum et secundum hexametrum Simonidis inepte imitatus est, quibus, ut aliqua restitueretur concinnitas, duos etiam pentametros addidit, deinde incipit quidem distichis

iterumque in titulis sepulcralibus leguntur, a nobilissimis vetustioris aetatis exemplis, Simonidis imprimis, repetenda esse facile suspicamur.

1) Ubi sic expeditur pentameter mediis hexametris insertus.

hominis defuncti virtutes laudabiliaque facinora praedicare, sed propter epicam huius enarrationis indolem denique ad solum versuum heroicorum usum transit. Eandem ob causam etiam alios auctores in vita rebusque mortuorum describendis distichis hexametros praetulisse videmus, ut *n. 340*, ubi primum duo leguntur disticha valde lacunosa, quae in universum parentum summum dolorem ac maestitiam de filii praematura morte exprimant, secuntur tres hexametri, quibus post usitatam formulam

εἰ δὲ θέλεις γνῶναι τὸν ἐμὸν βίον, ὦ παροδεῖτα,

filii nomen et ars, cui operam dederat, commemorentur, denique, ut magnificus exitus carminis exsistat, pulcherrima addita est Menandri sententia, quam etiam aliis in titulis invenimus:

ὅσσους γὰρ φιλέουσι θεοί, θνήσκουσιν [ἄωροι.

Eadem fere ratio est tit. Amorg. *n. 274*

Μοιράων με μίτος[1]) *πικρὸς ὤλεσεν, οὐ βιότοιο*
οὐδὲ φάους γλυκεροῦ πολλὸν ἐπαυράμενον.
εἰ δὲ μαθεῖν σὺ ποθεῖς τίνα μ' ἐνθάδε τύμβος ἔκευθεν,
οὔνομά μοι Κέρδων γλυκεροῦ πατρός ἐστιν ὅμοιον·
τριάκοντα δέ μιν λυκάβαντας ἀναπλήσαντα
δόγμασι μοιράων εἷλε μέλας θάνατος

ubi haec annotat Kaibel: 'Pro *μιν* debebat *με* esse, quare aliunde distichon petitum existimarem, nisi eadem *μοιράων* forma etiam v. 1 esset'. Ut revera aliunde petitum hoc distichon statuamus, praeterea admonet vocis *τρῐάκοντα* vitiosa mensura, quam facile explicamus, simodo *τεσσαράκοντα* in archetypo scriptum fuisse statuimus. Dubitationem autem ex voce *μοιράων* ortam sic tollere possumus, ut etiam primum distichon ex alio quodam carmine (quamquam non ex eodem atque ultimum) assumptum statuamus. — Versum haud dubie alio ex carmine duobus distichis additum

n. 367, 5 *ἀλκυονὶς γοεροῖς δάκρυσι μυρομένα*

iam ante memoravimus, sed etiam in versibus sequentibus non

1) Quantopere interdum auctores inscitissimi in isto Parcarum filo carminibus inserendo peccaverint, lepidissimum docet exemplum *n. 282*

μὴ κλαῖε· μοιρῶν γὰρ μίτος πάντας καλεῖ.

omnia huius carminis propria esse et metrica condicio comprobat et Doricae formae *μάννε τειμάν*, quamvis nil certi possit demonstrari.

5. Eadem sententiarum inopia, quae ad aliorum carmina arcessenda impulit epigrammatum auctores, si apta exemplaria non praesto erant, etiam causa exstitit cur interdum *carmina iustum distichorum ambitum non explerent*. Apertum exemplum exstat in Thracis cuiusdam epigrammate Attico II. fere saec., propterea ridiculo, quod, ut Kaibelii utar verbis, magnificum exordium prae scriptoris insulsitate ad nihilum recidit *n. 140*

Τεῦ σ' ἐνέπειν χρῆν τύμβον; — ἀγακλειτοῖο Νέπωτος.
καὶ τίς Κεκροπιδῶν γείνατο τόνδε; φράσον. —
οὐκ ἦν ἐκ γαίης Κεκροπηίδος, ἀλλ' ἀπὸ Θρήκης.

Omnem hic ingenii copiam ac facultatem tantopere exhaustam esse, ut pentametro nihil superesset, quis non perspicit? Simile quid etiam de epigr. *n. 468* eadem ratione formato statuendum videtur. — Alii artem minus exercitatam eo ostenderunt, ut non omnia enarranda quae erant distichorum ambitu possent comprehendere. Sic in tit. Halicarnass. *n. 206* (Christo nato vix antiquiore), quod Hermocratis patriae [1]) mentio desiderabatur, duo pro uno pentametri exstiterunt

ὡς υἱὸν Μόσχου τόνδ' ἔχω Ἑρμοκράτην
Χαλκιδέων χώρας ἐνθάδ' ἀποφθίμενον.

Sic hominis defuncti aetatem saepius in adiecto pentametro enarratam animadvertimus, ut singulis distichis additos versus elegiacos habemus *n. 510*

θνήσκω μῆτερ ἐτῶν ἓξ καὶ δέκα ἡμερῶν

et *n. 689a* (Mus. Rh. XXXIV)

ζήσας τέσσερ' ἔτη κλώσμασι μοιριδίοις.

In tit. Syriaco *n. 459a* ex binis hexametris totidemque pentametris composito alter sic procedit pent.

καὶ ζήσαντα καλῶς ἑβδομήκοντα ἔτη.

Sic n. 156 et n. 316 hexametris, n. 167 et n. 171 versibus inconditis singuli subiecti sunt pentametri idem enarrantes. — Alia ratio est tit. Aegyptii *n. 430*, cuius poeta, cum ultimo

---

1) Cf. quae Kaibel ad n. 22 annotavit.

disticho adhortatus sit viatorem, ut sepulcrum verbis boni ominis pronuntiatis relinquat, ipsa verba quibus eum uti vult uno pentametro inclusa addit:

γαῖαν ἔχοις ἐλαφρὰν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον.

Contra satis frigide lusit Balbilla, quae in carminis fine *n. 988* eius diei memoriam, quo divinam Memnonis vocem audiverit, bis expresserit:

φῶτα δ' ἔχεσκεν Ἄθυρ εἴκοσι καὶ πέσυρα,
εἰκοστῷ πεμπτῷ δ' ἄματι μηνὸς Ἄθυρ.

Omnes istae causae satis inter se diversae simul effecerunt, ut universa denique evaderet perturbatio carminum, in quibus poetae hexametros et pentametros nullis legibus inter se coniunctos proferrent. Singulorum exemplorum enumerationem vide apud Kaibelium p. 703, quamquam haud ita pauca, quae eo pertinere videantur, ex eorum numero eximenda perspeximus.

§ 2.

De singulorum versuum depravatione.

In universum praemonendum est recentiorum poetarum epicorum artem metricam etiam in epigrammatis aperte ac dilucide adhibitam esse, ut, ni nomina similiaque impediebant, puri dactyli saepius tantopere praevalent, ut nullus omnino spondeus admixtus sit (cf. n. 502. 2, 6; 511. 1, 5, 9; 594. 1, 12; 613. 6; 913, 3; ex carm. n. 618 hexametris quadraginta duobus non minus tredecim 6—8, 17—20, 27, 28, 31, 35, 36, 42, alios). Sic etiam in frequentiore usu bucolicae caesurae artis Alexandrinae vestigia agnoscimus, quae multis in carminibus sola adhibetur [1]), cum in aliis non sine certa quadam excusatione omittatur. —

1. Quamvis multa minus legitima hic quoque merae poetarum inscitiae tribuenda sint, tamen operae pretium est, et quanam ratione et quibus de causis orta atque progressa sit depravatio, accuratius inquirere. — Iam primum versus tracte-

1) Cf. e. g. undecim hexametros carminis, quod editum est Mittheil. d. arch. Inst. IV p. 11.

mus iustum pedum numerum aut transgredientes aut non explentes. Incipiendum videtur ab *heptametris dactylicis* hexametrorum loco usurpatis, quorum maior exstat summa, quam primo aspectu exspectaveris. Omissis enim eis qui carminibus prorsus inconditis inserti sunt, duo et viginti investigavi exempla, quae singula enumerandi opera supersedere non possumus.

n. 316 (litt. vulg.) *μάμμη*] *Εὐτυχία μαστοὺς κατεκόψατο, οἷς ἔτρεφέν σε*

n. 369 (litt. ЄC) *ὃν σὺ θεὰ Κύπρι μοι φιλέοις σὺν τῷ πατρὶ καὶ Χαρίτεσσι·*

n. 452 (III saec.) v. 17 *ἀλλά μιν παῖδάς τε ἑοὺς καὶ αἰδοίην παράκοιτιν*

n. 588 (III saec.) *πάνθ᾽ ὑπολανθάνετε τὰ βίου συνεχῶς μυστήρια σεμνά*

n. 621 (II vel III saec.) *τὴν δ᾽ ἐπιτυμβίδιον τούτῳ θῆκεν χάριν, ὃν τρέφε παῖδα*

n. 870 (adm. rec.) *οἱ δ᾽ εὖ γεινάμενοί μ᾽ ἔδοσαν ἱερηίδα τῇδε θεαίνῃ*

n. 838a (Mus. Rhen. XXXIV) *ἀργαλέην νοῦσον προφυγεῖν σὺν πατρίδι καὶ φιλίοισι.*

De his exemplis non habeo quae moneam; in sequentibus unde ortus sit nimius versuum ambitus statim apparebit. Namque in tit. Att. IV saec. a. Chr. n. ineuntis

n. 23 χαίρετε δ᾽ οἱ παριόντες, ἐγὼ δὲ λιπὼν πατρίδ᾽ ἐνθάδε κεῖμαι

apertam habemus tit. antecedentis imitationem. —

n. 79 φιλοῦντ᾽ ἀντιφιλοῦσα τὸν ἄνδρα Ὀνήσιμον ἦσθα κρατίστη

simul cum metro etiam mensurae insolentia sic explicatur, ut ex archetypo hanc sententiam depromptam esse statuamus sic fortasse formato

. . . . φιλοῦντα
ἀντιφιλοῦσα τὸν ἄνδρα ◡–◡◡ ἦσθα κρατίστη. —

De versu hypermetro n. 288, 1 exposuimus p. 72. —

n. 526 in fine: *Ἑρμιόνη με ἔθηκε γυνή· [παρ]ά[γ]ων χαίροις παροδεῖτα* (...AIWN in lapide)

ultima verba, quae etiam in fine tit. 522 leguntur cum antecedenti vocabulo, quod non satis certe restitui potest [1]), aliunde assumpta carmini suo adiecit auctor. — *n. 613* in epigr. Romano II p. Chr. n. saec. propter miram atque insuetam metri compositionem — praemissis enim tribus paroemiacis duo heptametri dactylici singulis hexametris includuntur — formam insolentiorem haud inconsulto a poeta adhibitam esse eo magis credes, quo facilius omissa amicorum mentione v. 5 in iustos metri terminos revocari potuit:

ἔνπορος εὐμόρφων γενόμην ⟨φίλοι⟩ μετέπειτα γυναικῶν

πνεῦμα λαβὼν δάνος οὐρανόθεν τελέσας χρόνον ἀνταπέδωκα. —

Nomina propria horum versuum ambitum incommode auxerunt:

n. 22 (sub ol. 83 inscr.) *χαίρετε οἱ παριόντες· ἐγὼ δὲ Ἀντιστάτης ὑὸς Ἀτάρβου*

corruptum fortasse ex meliore archetypo (cf. n. 23).

n. 370 τὴν τειμητὴν ἀνθρώποις Νάναν ταχέως ἥρπασε μοῖρα

n. 458 Δρᾱκόντις Θεμάλλου τόδε σῆμα ἑοῖς [καμάτοισιν ἔτευξεν

si modo, quod non dubito, Kaibel hunc versum recte ex antecedentis tit. similitudine supplevit.

n. 540, 5 *ἄρτι νεηγενέας· [αὐτὴ δ' Ἀ]πρώνια δύσμορός [εἰμι.*

Aetatis enarratio nomini accedit in tit. Att.

n. 149 πατρὸς μὲν Δημοσθένεος ἐτέων δύο κεἴκοσί μ' οὖσαν. —

Denique ea exempla segregavi a reliquis, quae in mediis versibus paulo inconditioribus exstent:

n. 171 καὶ ὑπὸ πάντων ἀνδρῶν ἐκδικίας νυκτὸς τετυχηκώς

n. 406, v. 7 *οὗ χάριν ἔστησαν γονέες ὀδυρόμενοι περὶ πάτρης*

n. 722, v. 1 *οὐχὶ πόνῳ δολίῳ λημφθεὶς τὸ πρὶν ἦλθά σοι νῦν ἐπιγράψας.*

---

1) *Παριῶν* ad sensum optime quadraret, ad litterarum ductus non item. Fortasse non satis accuratum exstat apographum, ut inter Α . ΙΩΝ unius litterulae spatium in lapide relictum sit.

n. 919 Τατιανὸς μετὰ δικανικὴν τοῖς ἄρχουσιν συνκαθεσθείς
n. 1038 θάρσι, καιρὸν ἔχις· πρᾶξις ὃ θέλις καιροῦ δ' ἐπιτεύξῃ.

Etiam *senarii* iustum sex pedum numerum interdum transgrediuntur: ex quibus duo potissimum memorabilia praebent exempla. Quis enim interpolationes, quibus tam saepe in codicibus vexamur, ipsis in titulis statuendas esse exspectaverit? Tamen duorum senariorum singulas quasdam voces interpolationibus [1]) aperte deberi recte vidit Kaibel
n. 646, v. 4 οὐκ Αἴακος κλειδοῦχος, οὐχὶ Κέρβερος κύων
n. 1030 ὑμνῶ θεὸν Μέλητα ποταμὸν τὸν σωτῆρά μου.
Nominum excusationem prae se ferunt
n. 1096, v. 10 ὑπερτάτοις γὰρ ἡμῶν εὐχὴν Ἥρῃ καὶ Διὶ Ῥεμβηνόδῳ περάσας τὴν ἐτησίαν χάριν.

Memoratu dignum est, quantum laborem atque operam poetastris saepius paraverint *pentametri* recte conficiendi, quorum duae partes strenue inter se oppositae haud dubie paulo difficilius elaborabantur quam versus heroici aequabiliter fluentes. Quod ex duobus exemplis perspicue elucet ex utroque metro sic commixtis, ut in media quidem parte hexametri continuitas servetur, finis autem pentametri sit.
n. 545, v. 6 σῆμα γὰρ οὕτῶ τέτυκτε | πρόσθεν ἀννγόμενον
n. 722 ἀλλὰ νόσῳ λημφθεὶς, ἧς | ἔσχ' ἐπὶ σοὶ βάσανον.
Quid quod etiam harum pentametri partium aequalitas singulis pedibus alterutri adiectis deletur, ut in eiusdem tit.
v. 6 ἧς ἔσχον σπουδῆς ἐπὶ σοὶ | νῦν κατέχεις χάριτα.
In tit. Smyrnaeo sat incondito *n. 314* hos versus pentametros esse voluit poeta.
v. 2 ὅσσ' ἔπαθον δ' ἐν βαιῷ | τέρματί μου βιοτῆς
v. 9 καί μ' ἔτρεφεν γενέτης | μητέρα μου τροφὸν εἱλάμενος.
v. 25 ταῦτ' ἔπαθον βαιῷ | τέρματί μου βιοτῆς, | ξένε.

---

1) Similis interpolatio coniuncta cum nominum insolentia senarium *n. 983*, 2
Δημήτριος ἥκω πρὸς μεγάλην Ἶσιν θεάν
in hunc modum corrupit *n. 984*
Σαραπίων Ἀριστομάχου ἥκω πρὸς μεγάλην Εἶσιν θεὰν τὴν ἐν Φίλαις.

Accedunt miseri tit. n. 358 pentametri, cum hexametri si non elegantes, tamen multo meliores exsistant. — Quantopere autem de nominibus personarum pentametro inserendis interdum desperaverint poetae, etiam (cf. p. 71) egregie demonstrant pentametri, quorum dimidia pars solo nomine impleta sit

n. 51 Ἀρχεστράτην | ἀνδρὶ ποθεινοτάτην

n. 504 (bonae aet.) Ἀγεσίᾳ | πόλλ' ἐποδυρομένη.

Denique evenit, ut pessimi poetae, cum iustum metri ambitum curare desinerent, modo ex hypermetris carmina componerent, modo singula versuum membra inepte consuerent, cf. n. 314, 318, 379, 718—720 al. In ista autem *universa labe ac depravatione* hoc unum saepius animadvertimus poetas a versibus melioribus, qui distingui saltem possint, magis magisque ad peiores ac paene nullos descendere. Sic in fine epigr. *n. 368* modo non ad prosam orationem pervenit poeta

τὴν σώφρονα καὶ εὐγενίδα ἢ τὴν πατρίδα προέλιψεν,

sic medio in versu subsistunt *n. 330*

σῶμα μετῳκίσατο

n. 379 λαινέῳ τύμβῳ μνήμης χάριν

ac similia multa, quae, cum prorsus barbara sint, enumerare piget.

2. Tamen istam depravationum turbam intuentibus cavendum est, ne omnia statim auctoribus tribuamus, quoniam hic etiam *lapidariorum* ratio habenda est. In codicibus enim quas singulorum verborum mutationes, quas transpositiones sescentasque alias corruptelas librariis non ascribimus? Atqui lapicidas, quamvis lentius ob eamque causam cautius singulas deinceps litterulas lapidibus insculperent, tamen talibus erroribus minime exemptos fuisse, et ea, quae in quaestionibus de dialecto memoravimus, exempla comprobabant, et quae statim allaturi sumus aperte indicant. Cum antiquiora hic carmina, quorum auctoribus aegre graviora vitia condonabimus, prae ceteris respicienda esse appareat, opportune accidit, quod exemplum habemus satis probabile ipsius VI a. Chr. n. saec. *n. 229 a* (Mus. Rhen. XXXIV)

. . . τόδε σῆμα μῆτηρ ἐπέθηκε θανόντι

Φανοκρίτῃ | παιδὶ χαριζομένη.

Quamvis enim primo aspectu hic titulus prorsus eiusdem generis esse videatur ac n. 51 et n. 504 (quae Kaibelii est sententia), tamen probabiliorem duco Roehlii coniecturam (I. Gr. ant. n. 495), qui, si vocis μήτηρ transpositionem per lapidarii neglegentiam factam statuerimus, utrumque vitium tolli bene perspexerit

. . . τόδε σῆμ' ἐπέθηκε θανόντι
Φανοκρίτῃ μήτηρ παιδὶ χαριζομένη.

Sic in tit. Att. admodum recenti *n. 155* ipse Kaibel vitium agnovit lapidarii scribentis

Μοίρας] θρέψατε παῖδα τοκῆες οὐκ εἰς εὐμοίρους

pro genuino poetae versu

τοκῆες ἐς οὐκ εὐμοίρους.

Paulo difficilior videtur explicatio tit. Byz. III vel IV saec. *n. 534* cuius primus pentameter gravissima corruptela laborat

τὴν κοινὴν πάντων ἦλθες ἀταρπιτὸν ἔπι.

Ambigi posse monet Kaibel, voluerit poeta ἀταρπὸν ἔπι an ἐπ' ἀτραπιτόν. Atque equidem ἀταρπὸν ἔπι poetam scripsisse statuo. Quoniam enim in ultimo versu, teste editore, pro γλυκερῆς lapidarius errore λυγρᾶς vel πικρᾶς scripserat correctum subinde ab ipso, vocis ἀταρπιτόν syllaba IT fortasse nihil est nisi litterae Π duplicata scriptura.

3. Etiamsi haec atque talia lapidariis tribuamus, tamen satis multa ipsorum poetarum restant vitia. Ex hisce autem praeter supra commemorata pauca tantum afferam, quorum causam adhuc perspicimus, ut hinc quoque meram barbariem excludamus: ea dico, quibus poetas proba archetypa corrupisse apparet. Atque complura quidem epigrammata ea clade afflicta sunt, ut inepte ad mulieris memoriam praedicandam adhiberentur, quae proprie adulescentuli in honorem conscripta erant. Sic epigrammatis *n. 568* in mulieris Romanae epitaphio positi poeta, etiamsi non accedant argumenta ex metrica tituli condicione, aperte pulcherrimum Platonis epigramma n. 15 (Bergk, Lyr. II[4] p. 304) suum in usum convertit. Item, quae leguntur *n. 521*

Μοῖραι καὶ Λήθη με κατήγαγον εἰς 'Αίδαο
οὔπω νυμφείου θαλάμου καὶ παστάδος ὥρης
γευσάμενον· ἀθιγὴς δ' ἔλιπον φάος ἠελίοιο

olim virginis in sepulcro scripta fuisse perspexit Kaibel. Idem depravatorum versuum *n. 679*

v. 3 *αὐτὴ ἡ γεννήσασα καὶ κηδεύσασα ἐπέγραψα*
ἄχθος ἔχουσα κραδίης πένθεος οὐκ ὀλίγης·

metrum egregia coniectura sustentavit, cum in archetypo haec exstitisse suspicaretur:

αὐτὸς ὁ γεννήσας καὶ κηδεύσας ἐπέγραψα
ἄχθος ἔχων κραδίης πένθεος οὐκ ὀλίγης.

Huc etiam pertinet tit. *n. 371*: *ἄρτι με γενομένην* ...., quem ex adulescentis epitaphio n. 576 derivatum esse supra vidimus (p. 74), ubi haud disceptaverim, utrum versus infra additi adiectivum *αἴτιον* propter neglegentiam aut vitium prosodiacum veritus, an quod neutrum subintellegi voluerit, immutatum reliquerit auctor. — Eodem ex archetypo, ut ad alia depravationum genera perveniamus,

n. 576, 4 *τί σπεύδεις; οὐ σοὶ πάντες ὀφειλόμεθα;*

mira ratione afflictatus est *n. 577*

v. 6 *σπεύσας τοῦ ζῆν με στερέσαι; οὐ σοὶ πάντες ὀφιλόμεθα;*

(cf. etiam alterius pentametri 576, 2 mutationem in 577, 4). — Sic in tit. Erythraeo *n. 300*

οὐ τὸ θανεῖν ἐστι κακὸν, ἐπεὶ τό γε μοῖρ' ἐπέκλωσεν,
ἀλλὰ τὸ πρὶν ἡλικίας καὶ γονέων πρότερον

notissimum distichon transpositis verbis *κακόν ἐστι* et addito articulo *τό* corruptum est. Saepius explicandi et amplificandi gratia quaedam addiderunt auctores metrum omnino non respicientes, ut in tit. Romano *n. 546*

v. 16 *οἴχηται πλὴν ἃ πρὶν ζῶν ἀπεκαρπισάμην*

restituitur pentameter sublata voce *πρίν*. *n. 1137*

ὁ πανσίλυπος οἶκος οὗτός ἐστιν ἀσφαλῶς

supervacaneam verbi substantivi formam de suo addidit auctor. Non minus aperta est sedes corruptelae, qua laborat tit. Ath. *n. 60*

σώφρων καὶ χρηστὴ καὶ ἐργατὶς πᾶσαν ἔχουσα ἀρετήν.

Nimirum auctor epitaphii, cum versus, quem ad mulieris laudem elegerat, propriam eius virtutem non satis accurate exprimeret,

καὶ ἐργατίς inseruit. Compares praeterea ultimos versus titulorum n. 983 et n. 984 cum archetypo, Puchsteinii (l. c.) epigr. n. XXXI,

μνείαν ἐπ' ἀγαθῷ τῶν ἰδίων ποιούμενος,

quibus illarum inscriptionum auctores singulorum cognatorum enarrationem adiunxerunt, et quae sunt similia.

4. Hisce in titulis varias versuum perturbationes ac depravationes percensuimus; sed ad poetarum indolem cognoscendam et illustrandam non minus pertinet, quod saepius illos elaboravisse animadvertimus, ut quacumque ratione iustos versus perficerent. Sic in tit. Attico *n. 66*

Σῆμα τόδ' Οἰναίου Διονυσίου· τῶν δ' ἔτι πρόσθεν
Πείθωνος πατρὸς οὗ καὶ Φειδίππου τόδε θείου eqs.

alterum illud *τόδε* in versus gratiam male interpositum esse recte monet Kaibel. Particulam *γὲ* iam antiquiore aetate inanis verbi ad supplendum numerum additi vice functam esse apparet ex tit. Att. IV vel V saec. *n. 175*

v. 3 *γῇ σῶμα κρύπτει τῇδέ γ' ἀλλ' ἐς αἰθέρα*
v. 5 *τὸ γὰρ γέρας τρόπου γε τοῦ χρηστοῦ λάχεν.*

Quid quod similem particulam, *δὲ*, eidem versui bis inseruit poeta Cyzicenus *n. 339* (litt. vulg.)

v. 2 *εἵμαρτο πᾶσιν οὐχὶ δ' ἐμοὶ δὲ μόνον.*

n. 708 in epigr. Rom. II vel III saec. auctor nomini proprio sat inusitata ratione articulum praeposuit

v. 4 *σεμνὸς παῖ[ς] ὁ Μύρων τειμήσας ἔξοχα πάντων*

n. 955 in tit. Ath., hiatus ut evitaretur pluralis pro singulari adhibitus est: *σχῆμα τόδ' Ἑρμείαο καὶ εἰκόνας Ἡλιοδώρου,* quamquam hiatibus delendis non nimiam operam dedisse posterioris aetatis poetas multa docent exempla [1]) ut n. 167 *ἐμοῦ ὁδοιπόρε,* n. 245 *καλὸν καὶ ἀγαθὸν,* n. 288 *φίλε ὦ παροδεῖτα,* n. 438 *καὶ ἔμπαλιν,* n. 700 *βιότοιο ἐς ἡλικίαν,* alia.

---

1) Antiquissimum vestigium in tit. VI a. Chr. n. saec. *n. 3*

ἔστησ' ἐνγὺς ὁδοῦ ἀγαθοῦ καὶ [σώφρονος ἀνδρός

sic expedio, ut usitatam formulam *ἀγαθοῦ κ. σ. α.* (cf. n. 4) a poeta suis verbis additam statuam.

§ 3.

De metricis ac prosodiacis quae in rebus enarrandis positae erant difficultatibus.

Quae adhuc descripsimus vitia epigrammatum, magna quidem ex parte originem duxerunt ex rudium poetarum inscitia: nunc ad difficultates pervenimus inevitabiles atque tantopere cum ipsa epigrammatum indole coniunctas, ut etiam atque etiam occurrerent [1]), tamque graves, ut, cum deterioris notae poetis meram inicerent desperationem, interdum vel optimorum artem superarent. Nam alioqui vatis est suo ex ingenio cuncta carmina libere procreare: hic magna pars eorum, quae epigrammatis inferret, nomina videlicet munera aetatis personarum, ab initio ei proposita erant.

1. Iam primum nomina quantas difficultates paraverint poetis, ex omni poesis genere elucet: quid si cum ipsius hominis memoria etiam patris patriaeque laudatio versibus erat inserenda? Quot autem nomina ad metrum dactylicum prorsus non quadrarint, pauca ostendant exempla promiscue ex epigrammatis congesta *Ἀντιστάτης* n. 22, *Ἀπολλόδωρος* n. 48, *Ἀρχεστράτην* n. 51, *Θεοφίλη* (similia) n. 60, *Νεικομήδης* n. 101, *Διάλογος* n. 104, *Ἀσκληπιοδότης* n. 174. 889, *Διογένης* n. 190. 519. 852, *Φιλοκύνηγος* n. 332, *Ἀλκιβιάδης* n. 359, *Δημητρίου* n. 381, *Εὐτύχης* n. 603, *Δημοκύδης* n. 750a, *Ἀρχέδημος* n. 762, *Μεσσαλῖνος* n. 1050, *Καισαρήων* n. 1059 etc. — Paucorum nominum duplices praesto erant formae, quarum altera facilius adhiberi poterat, quod iam Sophoclem bene respexisse elegiae fragmentum docet ab Hephaestione servatum (fr. 1 Bergk)

Ἀρχέλεως· ἦν γὰρ σύμμετρον ὧδε λέγειν.

Similem observationem epigrammatum poetae suum in usum converterunt, cum pro nominibus *Θεόλογος* sim. in versum inducerent *Θειοφίλα* n. 212, *Θειοφάνη* n. 478, *Θειοτέλους* n. 496. Ceterum autem, quoniam rarius, quam par erat, eo refugiebant, ut nomina ab ipso epigrammate prorsus excluderent, aut

1) Unde etiam evenit, ut singula multa, quae hoc loco in unum cogere liceret, ab aliarum quaestionum tractatione seiungi nullo modo possent.

ad aliud metrum transeuntes difficultatem tollere studebant, aut nomina quacumque ratione in versus inculcaverunt. — Prioris generis unum prae ceteris laudandum est exemplum, cuius poeta Simonidis et Alexandrinorum[1]) artem imitatus satis scite atque eleganter hexametrorum locum Archilochiis quartis concesserit, quippe qui nec metrum dactylicum interrumpant, et nomini inserendo facultatem praebeant *n. 187*

v. 1 *Τήνω τοι τόδε σᾶμα τὸ λάινον, ὦ ξέν' Εὐθυδάμω*
v. 3 *καὶ βουλᾷ καὶ χερσὶν ἐς Ἄρεα· Τιμέᾳ δὲ παιδί.*

Multo frequentius poetae senarios pro versibus dactylicis adhibuerunt, quibus in enarrandis ab eo proficiscendum est, qui nominis proprii natura sese ad metrum mutandum coactum esse expressis verbis profitetur. *n. 616* (saec. II)

καὶ δὴ καλεύμην Ταξιάρχης ἐν βροτοῖς
οὐ γὰρ ἐν ἑξαμέτροισιν ἥρμοσεν τοὔνομ' ἐμόν.

Eandem et licentiam et excusationem propter Alcibiadis nomen (a quo hexametris inserendo non se abstinuit epigr. n. 661 auctor) protulit Critias in epigrammate servato ab Hephaestione p. 22 (Bergk, Lyr. II⁴ p. 282), nisi quod hic pentametri locum a senario occupatum esse videmus, ut in epigrammatis

n. 211 v. 2 *χθὼν ἥδε Κλειτοφῶντα τὸν Ἐρασισθένου*
n. 571 v. 4 *Φιλησίη τὴν κλῆσιν Αὐσονὶς γένος,*

ubi posterior tantum pentameter (ut prior apud Critiam) trimetro locum suum concessit. Duobus in epigrammatis *n. 360 et 798* singulis hexametris, in uno duobus distichis bini adiecti sunt senarii *n. 685*:

οὔνομα τὸ πρίν με πᾶς ἔκληζεν Ἐπαγαθώ,
νῦν δὲ Ῥοδογούνην βασιλίδος τὸ ἐπώνυμον.

A singulis denique trimetris excipiuntur unum distichon *n. 886* et paulo longiora carmina *n. 642 Δαμοστρατείας ταῦτα τῆς φιλανδρίας* et *722 Ἀγάθων ἀδελφῇ Ἀτταλίδι μνείας χάριν.* —

Quales autem evadant versus, si nomina a metro abhorrentia tamen admittantur, iam alia exempla hic illic a nobis citata comprobarunt.[2]) Haud raro, cum ad nomina perventum

1) Cf. Simonidis fr. 112 (Bergk) et [Theocriti] n. XXIII (ed. Ahrens).

2) Exemplum addo memorabile propter vetustatem I. Gr. ant. n. 41 (Olympiae eff.).

est, poeta qui antea pro virili parte metrum sustentaverat, de versibus iusti et ambitus et mensurae componendis prorsus desperat, ut e. g. demonstrant fragmina versuum in fine tit. *n. 339.* Prae ceteris duae memorabiles sunt inscriptiones, in quibus centones Homerici inepte consuti mirum in modum nominibus propriis interrumpuntur. *n. 660*

1. *ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει*
2. *ἀνδρὸς θείου Πουβλίου Τιτιδίου Καπίτωνος*
3. *τεῦξε δὲ τόνδε τάφον ἑὸς θρεπτὸς Νώνιος Ἀρτέμων*

n. 661 ἐνθάδε τὴν ἱερὰν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει
ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ἀλκειβιάδην

cf. etiam n. 354. — Ultro difficultates auxerunt poetae, cum a nominibus, quae mediis in versibus facile locum habere poterant, totum carmen incipere mallent.

n. 449 Κῆλεστῖνος πινυτός με ἐδίματο τῷδ' ἐνὶ χώρῳ
n. 669 Κῦριλλος τόδε σῆμα φίλῳ ποιήσατο ἀνδρί.

Etiam ad nova remedia refugerunt auctores, ut in tit. Rom. *n. 805 a* auctor nomen inter hexametri finem et pentametri initium distribuit

Νικο | μήδης.

Sic nomina inter singulos versus intercalabant, ut in tit. *167*

Παρδάλας μ' ἔσπειρε πατήρ, γαστὴρ δέ μ' ἔτικτεν
Εὐτυχίδος
οὔνομά μοι δ' Εὐτυχιανός eqs.

quaeque similia passim temptaverunt artificia.

2. Etiam munera quibus functi erant mortui, honores quorum fuerant participes, victorias quas reportaverant carmine celebraturi poetae magnas in difficultates incurrerunt, praesertim cum pressam ac brevem mentionem exigeret epigrammatis natura. Quid, Simonides ipse nonne in epigr. n. 125 (Bergk) quo facilius Olympicas Isthmias alias Dandae victorias enumeraret, senarios disticho subiecit? Posterioris autem aevi auctores talibus rebus [1]) enarrandis eo saepius perducti sunt, ut ad pedestrem orationem paene descenderent. Quod duobus exemplis comprobasse sufficiat:

1) Versus heroicos similibus locis disticho praeferri supra vidimus.

n. 588. Κεῖμαι Αὐρήλιος Ἀντώνιος ὁ καὶ
ἱερεὺς τῶν τε θεῶν πάντων πρῶτον Βοναδίης
εἶτα μητρὸς θεῶν καὶ Διονύσου καὶ Ἡγεμόνος eqs.
n. 919. Τατι]ανὸς μετὰ δικανική[ν τοῖς ἄ]ρχουσιν συνκαθεσθεὶς
ἡγεμόνι βικαρίῳ ἀνθυπά[τῳ] δυσίν τε ἐπάρχοις
ἀρχὴν Θηβαίων λάχεν, ε[ἶτ] Αἰγύπτου πάσης,
κεῖθεν ὑπατικὸς Συρίης, ἠδ' [ἔπ]αρχος ἑῴας eqs.

3. Aetatis denique quam mortuus expleverat memoriam ultimo potissimum versiculo eoque haud raro pessimo additam esse vidimus. Difficultas, quae in ea versu exprimenda posita erat (nam pauci ea usi sunt prudentia, ut numeros infra epigrammatis adderent), mirum quantum aucta est, cum saecula minutarum tantum rerum curiosa non solum annorum, verum etiam mensum atque ipsorum dierum accuratam mentionem exigerent. Aspice e. g. quantum in primis versibus componendis desudaverit tit. Rom. *n. 680* auctor

εἴκοσιν ἓξ λυκάβασιν ἐγὼ ζήσασα Σαβεῖνα
καὶ μησὶν τέτρασιν εἶτ' ἐνδέκατον πάλιν ἦμαρ.

Iam si modo periculum [1]) instabat, ne annorum numerus iustum versus ambitum transgrederetur, satis miram metri sustentandi rationem inierunt. Cum enim etiam mediis in versibus numeros saepius non perscriberent, sed usitatis numeralium compendiis notarent (cf. n. 337, alia) eo refugerunt, ut in versuum mensura non tam plenam numeri formam, quam solam eius litterulam respicerent:

n. 279 Τέκνα τέκνων ἐσιδὼν Ἑρμῆς Ἑσπέρου ἐτῶν ξ' (lege ξῖ)
n. 283 ἡ παναρίστη Σπούδη ἐνθάδε κεῖμαι ἐτῶν $\overline{κα}$ (lege κα)
n. 694 ὀκτὼ ἔτη πλήσας πρὸς τούτοις μῆνα ἐβίων $\bar{α}$
n. 701 ἡλικίας τριέτης καὶ μηνῶν $\bar{δ}$ ἐνθάδε κεῖται

quibus exemplis similem compendii usum addo ex tit. Christ. CIG. IV 8806

προσῆξα σοὶ Χ(ριστ)ὲ τῷ σωτῆρη [κ(αὶ)] κ[τ]ήστῃ,

ubi compendii signum ΧЄ unius syllabae vicem gerit. — Nec vero desunt loci, quibus sic numeris corrupti sint versus, ut

1) Quod non evitavit tit. 149 auctor.

pro archetypi verbis alia, qui exscripsit, intulerit, quod data occasione supra monuimus, ut *n. 586*, ubi in verba

εἴκοσι δὶς πλὴρώσασα χρόνους κεῖται λυκαβάντων

vitiosam mensuram sic illatam esse probabiliter suspicatus est Kaibel, ut scriptor in archetypo quod legerat εἴκοσι πληρώσασα mutare nesciret, itemque in archetypo tit. *n. 699* ἐς λυκάβαντα τρίτον pro ἐ. λ. τέταρτον, similia.

Cap. IV.

De consonantium immutatione.

§ 1.

De assimulatione et dissimulatione.

Ut in vocalium, sic etiam in consonantium scriptura inscriptiones multo firmiora ac certiora quam codices suppeditant testimonia, qua pronuntiandi ratione singulis saeculis Graeci usi sint. Iam primum paucis commemoranda est mutatio, cuius in quoque inscriptionum genere apparent exempla, assimulationem dico litterae ν in fine vocabulorum positae ad vocis insequentis initium. Earundem hic habemus mutationum primordia, quae copiosius excultae et constanter pertractatae linguae Sanscritae externam speciem tantopere removerunt a singulorum verborum propria forma: nisi quod Graeci ab huius scripturae usu sese ad eam rationem revocaverunt, quae ad intellegendam verborum sententiam multo aptior est atque convenientior. Quamquam enim frequentiorem hunc morem invenimus in Atheniensium potissimum titulis cum privatis tum publicis (ut in epitaphio eorum, qui ad Potidaeam ceciderant, publice insculpto *n. 21* ἀθάνατόμ με v. 1, μὲμ ψυχάς v. 5, μὲμ πόλις 9, al.), tamen constanter hanc consuetudinem nunquam adhibitam esse vetustioribus titulorum Atticorum exemplis diligenter collatis demonstravit Cauer (Curt. Stud. VIII p. 225 sqq.). — Praeter nasalem etiam aliae quaedam litterae similem mutationem interdum passae sunt: ex quibus praepositionis ἐκ

assimulationem ad sequentis vocabuli initium [1]) propterea memorabilem dixerim, quod, littera γ insequente, omnis differentia inter praepositionum ἐκ et ἐν formas delebatur, ut in epigr. n. 407 prope Sagalassum eff. legitur v. 12 ἐγ γαίης τῇσδε et n. 1039 in tit. Lycio ἐγ γάμων. Cf. praeterea ἐγ λιμένος n. 1043 et accedente crasi καὶχ θαλάμων n. 468 (litt. vulg.).

Sed etiam contrarium huic assimulationi studium observatur singula verba inter se disiungendi et propriae atque etymologicae scripturae sive servandae sive restituendae. Ac vix mirabimur, quod etiam in hac ratione persequenda multi longius, quam par erat, progressi sunt, cum etiam mediis in verbis omnes nasales consonantes, ut in fine, per litteram ν exprimere inciperent. Quod cum saepius, ut in vocibus cum praepositionibus compositis, etymologicam rationem attingeret apteque illustraret, tamen posteriore imprimis aetate aliae formae in linguam inducebantur satis frequentes, quae a vera derivatione quam alienissimae essent. Ut hoc facilius perspiciatur, pauca exempla profero ex epigrammatis promiscue congesta: n. 3 ἐνγύς, n. 35 ἀνάνκης, n. 65 ἀνενκλήτως, n. 72 ἀνφικαλύψας, n. 96 κένρυμαι, n. 101 ἐνγελάσας, n. 134 τύνβον, n. 143 ἐνενκαμένην, n. 201 συνκέχυται πένψας, n. 223 φένγος, n. 264 ἀλάνπετος, n. 298 ἐνχθόνιος, n. 335 σύνπαν, n. 360 ἀμένπτως, n. 450 πάνπαν, n. 726 ἄνγελος, n. 810 ὄνκον, n. 919 συνκαθεσθείς, n. 996 ἐφθένξατο. — In universum breviter et assimulationis et dissimulationis tractationem absolvere licebat, quoniam multis exemplis perlustratis eo pervenimus, ut nullam omnino certam regulam, cui adstrictae essent, investigari posse atque usus constantiam ne in singulis quidem inscriptionibus exstare intellegeremus.

§ 2.

De aspiratione.

1. Paucae quaedam radices, quae in communi linguae Graecae usu spiritum lenem perhibent, in titulis potissimum

---

1) Cf. Kühner, Gr. Gr. I p. 205. G. Meyer, Gr. Gr. § 279. G. Curtius, Zu den Auslautsgesetzen des Griechischen, Stud. X p. 205, 214.

rara aspirationis vestigia praestant, quam cum propriam quondam fuisse horum vocabulorum (aut ex ϝ aut ex σ genuina ortam) eluceat, ab antiquissimo aevo repetitam esse atque servatam facile nobis persuademus (cf. Curtii Et. Gr. el.[5] p. 687 sq.). Ex hisce exemplorum copia insigne est verbum (ϝ) ἔτος, quod in compositis saepius occurrit:

δωδεχέτη n. 112 (Aeginae in ins.) litt. ΠΣ
ἐννεακαιδεχέτης n. 190 (Pholegandri)
ἐννεακαιδεχέτις n. 205 (Halicarnassi II a. Chr n. saec.)
ὀκτωκαιδεχέτης n. 222 (Amorgi Rom. aet.)
ἐνδεχέ[τηρον n. 261 (Corcyrae saec. II p. Chr. n.)
τεσσαρακαιδεχέτης n. 518 Thessal. (saec. II vel I)
δεχέτη n. 265 (Eremopoli Cretae)
ἐννεακ]α[ιδ]εχέτης n. 306 a (Smyrnae)
ὀκτω]καιδεχέτης n. 566 (Romae saec. II p. Chr. n.)
δωδεχ[έ]της n. 732 (Romae tit. Christ.)
τρεισκαιδεχέτη in epigr. Pario, litt. ΑΘ (Bull. de corr. Hell. 1880 p. 284)

denique unum simplicis vocabuli exemplum, quod, cum ad aetatem admodum recentem pertineat, haud dubie ex adiectivorum illorum analogia aspiratum est [1]) n. 689 (Romae)

ἔνδεχ' ἔτη [ζή]σας, δωδεκάτου δ' ἐπιβάς.

Ex reliquis exemplis unum ab antiquissima traditione repetitum est n. 15 (VI a. Chr. n. saec.) καθέχει.

2. Quae praeterea huc spectare videntur ἐφ' ἐλπίσι n. 372 (v. 21) in tit. Cotiaei IV p. Chr. n. saec. et καθιδόντες n. 278 (Amorgi, infimae aetatis), cum recentiora sint, quam ut scripturam antiquitus servatam agnoscere possimus, *vulgari* potius quae vocatur *aspirationi* annumeranda sunt, de qua uberrime exposuit Roscher (Curt. Stud. I 2. p. 63 sqq.). Loquendi enim commoditatem id paulatim effecisse demonstravit vir doctissimus, ut Graeci pro tenui saepius aspiratam et pronuntiarent et, in titulis imprimis, scriberent. Sic in epigr. Smyrnaeo n. 311 (litt. vulg. praeter ω) legitur τοῦθο. Atque in universa posterioris aevi vacillatione haud raro evenit, ut

1) Cf. καθ' ἔτος Lebas n. 1159 et similia vide in annot. ad n. 136 a (Lebas).

etiam pro genuina aspirata tenuis scriberetur. Sic *ἐντάδε* habemus in tit. Rom. Christ.[1]) aet. n. 729a (Mus. Rhen. XXXIV) et in tit. Thessalonicae eff. adm. rec. n. 522 v. 14 (contra v. 1 *ἔνθα*); et *ἄλοκος* pro *ἄλοχος* n. 525, *ἐκθρός*[2]) in tit. Corcyraeo n. 262. — Alia est ratio memorabilis exempli scripturae *τθ* pro *θ* in tit. Theraeo n. 807 (litt. vulg.) *βάτθρα*, affricatae quae dicitur pronuntiationis certum indicium, quocum conferas, quod legitur in tit. Tegeat. CIG. 1513 *ἀνατετθειμένοις* (Roscher l. c. p. 123), quamquam hic propter antecedentem *τ* de lapidarii vitio facilius possis cogitare. — Etiam duplex aspirata et muta cum aspirata coniuncta interdum inter se permutantur. Sic in epigr. Chio satis antiquo (litt. ΓΣV) Bull. de corresp. Hell. 1879. p. 316 exstat *καταπθιμένης*: contrariam mutationem (cf. Roscher p. 89) observamus in antiquissimo tit. Corcyraeo n. 180 *Ἀράθθοιο*, quod etiam in nummo legitur, cum Plutarchus et Plinius formam *Ἄρατθος* praebeant. Praeterea

Βάχχοιο n. 871 Teni in ins. II p. Chr. n. saec.
Ἴαχχος n. 690 Romae saec. III p. Chr. n.

Item in nominibus Romanis, quorum litterae pp per *πφ* transscribi solent (cf. *Ἀπφία* n. 247 et n. 386), interdum legimus *φφ*, ut n. 114 *Ἀφφιανός*. Alia exempla vide apud Franzium El. epigr. Gr. p. 247 et Roscherum p. 89.

3. Inde ab Aristotelis fere aetate pro usitata et plerisque probata scriptura verbi *οὐδείς*, *μηδείς* aspirata inferri atque *οὐθείς*, *μηθείς* scribi coeptum est (cf. Weckl. Cur. epigr. p. 30). Epigrammatum quinque investigavi exempla.[3])

οὐθείς n. 35 Athenis circa med. saec. IV a. Chr. n.
ο]ὐθενί n. 45 Athenis IV vel III saec.
μηθείς n. 96 Athenis
οὐθείς n. 236 Smyrnae (saec. II vel I)
οὐθέν n. 240 Smyrnae (litt. vulg.).

1) Alia exempla Christiana exstant CIG. IV n. 9543 et n. 9903, *ἐντάδαι* n. 9430.

2) Idem legitur in tit. prope vicum Puzzuoli eff. Arch. Zeitung 1881, p. 310.

3) Adde Puchsteinii epigr. I *A* 9 *μηθέν*.

Unde originem duxerit haec mutatio, difficile est ad disceptandum [1]): sed non ex ipsius populi vulgari usu eam profectam esse vel inde cognoscitur, quod nusquam exempla occurrunt scripturae *μηθεμία, οὐθεμίας* etc.

§ 3.

De consonantibus duplicibus.

1. Pro consonantibus duplicibus vetustissimo aevo constanter, rarius recentioribus temporibus simplices adhibentur. Atque antiquissima exempla diligenter collegit G. Meyer Gr. Gr. § 287 [2]); itaque recentiora tantum ex epigrammatis colligamus: *Καλότυχος* et *Καλικράτης* in titulis Amorginis n. 280 valde recenti et n. 281 (III saec.) *Καλλιρόη* in tit. Thebano n. 869 (saec. II). [3]) Et quod proprie ad sola media spectat verba, passim etiam adhibetur, si eaedem consonantes in unius verbi fine et sequentis initio concurrunt. Cuius rei exemplum prae ceteris memorabile, quod ipsa versus mensura congruit cum scriptura [4]), exstat in tit. Olymp. (V saec. a. Chr. n.) *n. 744 καὶ Καμαριναῖος· πρόσθ' ἄρ' ἐΜαντινέᾳ.* Reliqua vide apud Meyerum.

2. Multo artius cum propria epigrammatum indole cohaerent duplicatae consonantis pro simplici vestigia satis copiosa. Quorum ea erat ratio, ut a paucis exemplis antiquissimis ac poetarum epicorum usu firmatis profecti recentiores poetae eorum analogiam ad alia verba transferrent, quorum cum etymologica ratione minime congruerent consonantes duplicatae. Itaque cum apud Homerum invenirent *ἔννεον, ἔλλαβε,*

1) G. Meyer (Gr. Gr. § 215 ubi multa exempla collegit) ex confusione particularum *οὔτε* et *οὐδέ* eam explicare studet, quod minus probabile videtur.

2) Unum addo *Ἀπόλωνι* in tit. Delph. n. 747 (ol. 76).

3) Ex titulis Christianis huc pertinent *ἐκλησία* CIG. IV n. 8915, n. 9268, n. 9434, n. 9853 (*ἐκλισῆας*); *πολάκης* et *πολάκις* n. 8691, *πολὰ* n. 8681, *ὑπῶ πολῦς* (= *πολλοῖς*) n. 8807, *Καλιγένου* n. 9284, *Καλινίκου* n. 9312, *Ἰωάνου* n. 9237, *Φίλιπος* n. 9456, *Ἀμιανός* n. 9725, *σαγιτάριος* n. 9230, *ἔλατον* n. 9137, *θάρει* n. 9917 al.

4) Hoc enim ceterum neque in antiquissimis, neque in recentioribus exemplis observatur.

ἐλλιτάνευε sim. (de quibus cf. Curtii Verb. I² p. 117) non modo illas formas ipsi adhibuerunt carminum epicorum et epigrammatum poetae, verum etiam posteriore aetate duplicem hanc consonantem metro satis commodam aliis verbis intulerunt, ut ἔλλιπε legimus n. 187 et n. 574, ἔλλαχε n. 243. 609. 957, quibus accedit *n. 939*, ubi scriptum quidem est ἔλαχε, metrum autem duplicationem requirit. Eodem refero audaciorem liquidae duplicationem, quae substantivum artissime cum praepositione coniungat in tit. Mytilenaeo II p. Chr. n. saec. *n. 828*

v. 8 τρισσὸν ὑ π ὸ λ λ υ κ ά β α ν . . .

sumptam hanc quoque ex usus epici aliqua analogia (de qua cf. La Roche Hom. Textkrit. p. 389, Hom. Untersuchungen p. 47 sqq., Meyer, Gr. Gr. § 288). Longe autem frequentissima exstant exempla scripturae *σσ pro simplici σ*. Notissima est usus Homerici vacillatio inter formas, quales sunt τελέσας et τελέσσας, sic instituta, ut in syllabis arsi intentis duplicata littera, in thesi simplex usurparetur. Sic in epigrammatis legimus, *n. 350*

φασὶν δ' Ἡρακλέα δύο καὶ δέκα ἆθλα τ ε λ έ σ σ α ι
αὐταρ ἐγὼ τ ε λ έ σ α ς τρισκαίδεκα τὸ τέλος ἔσχον

ε ἰ ρ γ ά σ σ α τ ο n. 751 (V a. Chr. n. saec.), ἐ δ ά μ α σ σ ε n. 847 (Alex. Magni aet.), ψ η φ ι σ σ α μ έ ν η ς n. 870 (adm. rec.) sim. — Ceterum etiam ante alias quasdam consonantes, τ imprimis, duplicem σ haud raro praetulerunt simplici, ut satis vetustum docet exemplum Α ἰ σ σ χ ύ λ ο υ in epigr. Att. *n. 760* (V a. Chr. n. saec.) et *n. 487* ἀ ρ ι σ σ τ ε ύ ω ν in Thisbaeo eiusdem aetatis.[1]) Ad posteriorem autem huius duplicationis usum illustrandum aptissimum praesto est exemplum *n. 334*

v. 7 πλήγματι δ υ σ σ τ ή ν ῳ πνεῦμα [β]ίᾳ θέμενον
v. 8 ἐ]ξόπιθεν χεὶρ γάρ μαι ἔβαλεν δ ύ σ τ η ν ο ν ἐς Ἀιδην
v. 10 πλεῖ]ον δ' οὐ[κ εἴ]ασε Τύχη δαίμων ται ἀ λ ό γ ι σ σ τ ο ς
v. 15 σὺν πατρὶ δ υ σ σ τ ή ν ῳ βά[λλ]ο[ν[ἐ[μ]ὸν ὀλέτην

---

1) Alia exempla collegerunt Wecklein, Cur. epigr. p. 49, G. Meyer, Gr. Gr. § 228, Meister, Griech. Dial. I p. 254 et 300, Blass, Ausspr. p. 77.

v. 17 *οὖς γὰρ ἔδει [ζῶ]ν[τας τέκ]νου ὕπο. [πρεσ]-βεύεσσθαι.*

Satis perspicue elucet omnibus eis locis, quibus arsi syllaba intendatur, quasi ad firmandum et efferendum ictum duplicem adhibitam, contra v. 8 in thesi simplicem consonantem relictam esse. Quod consulto a poeta institutum esse etiam aliorum epigrammatum demonstrant exempla, ut barbara formae *ἑστᾶσι* transmutatio in epigr. recentissimo Aeginae n. 271, 6 *ἕσστᾶσι τερπόμεναι* et in tit. Ital. III fere saec. n. 690, 1 *βαιὸν ἐπισστήσας* . . .

§ 4.

De litteris ζ et ξ.

1. Ipsius quidem litterae ζ aliqua ratione mutatae nullum investigavi exemplum [1]), sed compluries pro σ, semel pro δ in titulis antiquioribus ζ legitur. Antiquissimum habemus vestigium tit. Parii n. 750 a (V saec.) *ζαπέδῳ*, quam formam, ex *διά-πεδον* (Curt. Et. Gr. el.[5] p. 621 sq.) ortam, regularem atque genuinam fuisse praeter Xenophanis locum fr. 1, 1 (Bergk) et Hesychii glossam: *ζάπεδον μέγα ἔδαφος* etiam antecedentis vocalis productio demonstrat Hymn. Hom. V 283 (cf. La Roche, Hom. Untersuch. p. 49). — Reliqua exempla in quibus ζ pro σ inveni omnia ante mediam praebent hanc litteram.

Πελαζγικόν n. 846 Argis IV a. Chr. n. saec. exeuntis.

ἄζμενος [2]) *n. 491* Orchomeni II a. Chr. n. saec.

καταζβεσθείς n. 415 Alexandriae litt. ΕCΩ,

denique *Ζμύρνη* tribus locis adhibitum *n. 143* (Athenis. saec. II p. Chr. n.), *n. 376* (Aezanis eiusdem fere aetatis), *n. 657* (Praeneste III fere saec.). [3])

2. Simili ratione, qua iam alio loco artiorem substantivi cum praepositione conexum ad consonantium scripturam pertinere vidimus, etiam in tit. Prienaeo IV vel III saec. *n. 774* *ἐκ Σαλαμῖνος* scriptura in *ἐξαλαμῖνος* contractum est. Eadem praepositio memorabilem praebet scripturam in tit. *n. 334 ἐξ*

---

1) Aliorum titulorum exempla vide apud Blassium[2] p. 97.

2) Cf. *νομίζματα* GIG. IV, 8945 in barbaro Syr. tit.

3) Cf. Blass, Ausspr. p. 99 sq.

ζωῆς et *n. 228a* ἐξσώζων, quam scribendi rationem e notissima inscriptionum Latinarum fluctuatione inter x et xs ortam esse cum per se verisimile sit demonstrari videtur titulo Alexandri Severi aet. in Gallia Narb. inciso *n. 836* Σέξστος[1]); quamquam certum iudicium facere non audeo, quoniam de tit. n. 228a minusculis editi aetate nil constat.

Cap. V.

De nominum flexione.

§ 1.

De nominibus in -ις -ιν pro -ιος -ιον terminatis.

Duae potissimum depravationes senescente graecitate nominum flexionis speciem ac formationem magna ex parte mutaverunt. Ex quibus altera in eo posita est, ut nomina quaedam, personarum praecipue, in -ιος -ιον desinentia hanc terminationem in -ις -ιν contrahere incipiant. Quod idem in Romanorum quoque nominibus observatur, ea tamen differentia satis gravi intercedente, ut apud Romanos quidem antiquae aetatis propriae sint istae formae atque, quo recentiores perlustremus titulos, eo rarius occurrant, donec prorsus evanescant contra apud Graecos cum a primo demum p. Chr. n. saec. in usum vulgarem intraverint[2]), usque ad nostra tempora in hodiernorum Graecorum sermone serventur. Quamvis autem accuratos ac plenos Graecorum non minus quam Latinorum exemplorum indices confecerint viri docti, qui subtilissime has formas tractaverunt (prae ceteris Ritschelius duobus programmatis: De reconditiore quadam declinatione Latina (Op. IV p. 446—478) et Benseler, de nominibus propriis et Latinis in -is pro -ius et Graecis in -ις -ιν pro -ιος -ιον (Curt. Stud. III p. 147—183), tamen epigrammatum exempla congerere operae

---

1) Cf. e. g. CIL. I n. 1188 Sexstianus.

2) Exemplaria et quasi archetypa huius formationis repetere licebat ab optimae aetatis nominibus, qualia sunt Ἄλεξις Ζεῦξις Λῦσις.

pretium esse duxi, quoniam cum Ritschelii commentatio a. 1861, Benseleri 1870 conscripta sit exstant, quae post illa tempora innotuerint.

I. *Nomina propria*, quae longe frequentissima praebent exempla:

Πλῶτις n. 113 in tit. Att. (praeterea CIG. 6987).

Μεῖσις n. 144 Athenis saec. II vel III, simodo Μείσιος revera nomen est ceterum quidem ignotum.[1])

Κεντρίκις n. 168 in carmine Att., cuius barbaram originem ni ipsa verba profiterentur formae grammaticae dilucide demonstrarent.

Νεικατόρις n. 427 Hadrianis ad Olympum. Christ. aetatis ac similis condicionis atque antecedens epigr. (cf. formam ἐφειλάμενος).

Καρακοῦττις n. 607 Romae (III fere saec.) (cf. v. 2 Καρακουττίου).

Καρουέντις n. 656 (litt. ЄCW) in tit. ab homine inscitissimo conscr. (cf. μάκαρος).

Δρακόντις n. 458 Philippopoli (litt. ЄC).

Αἶλις in tit. 718 (Catanae) pessimis versibus.

Αὐρῆλις n. 735 Catanae.

Ἡράκλις n. 729a, Romae in tit. Christiano.

Ἄττις n. 816 Romae (Ἀττίῳ v. 1).

Γελάσις n. 1076 (Romae) quod ut ab homine Aegyptio scriptum putemus monet nomen Memphis.

Quibus accedunt exempla ex Wetzsteinii titulis Syriacis (quae cum fugisse videantur Benselerum addere iuvat): Φλάις n. 2, mira nominis Φλάουιος forma, sublata ου ex Φλάιος (n. 6) contracta, Δρακόντις n. 41, Λεόντις n. 176.

Ἑλλάδιν n. 136 *Athenis*, ubi cum litterae sint vulgares atque tam eleganter insculptae, ut de plebeia inscriptione cogitari non possit, ipsam hanc formam recentiorem tituli aetatem testari annotat Kaibel.

Μαιάδιν n. 344 v. 9 prope Hadrianos litt. ЄC.

Ἰανουάριν n. 369 Cotiaei (litt. ЄCW).

1) Μεῖσις fortasse pro Μεῖξις Μειξίας scriptum esse me monet praeceptor illustrissimus G. Curtius.

Μακάριν n. 611 (prope Romam).

Πορφύριν n. 935 aurigae nomen (cf. etiam n. 611) in vulgari inscriptione Byzantina.

Ἀκέσιν Telesphorum vocat poeta hymni n. 1027.

Huc etiam pertinet *mulieris nomen*[1]) δάμαρ Βασίλεια Λεῶκιν pro Λεώκιον in epigr. Byzantino n. 535 (saec. IV p. Chr. n.). Syriaca sunt Οὐράνιν n. 125, Μεσόριν n. 172.

II. *Substantivorum formae* tam raro inveniuntur, ut ad nominum propriorum analogiam formatae videantur.

χαρτάρις n. 309 Smyrnae

ῥητιάριν n. 350 Nicaeae

et unum exemplum Syriacum ἀκτουάρις n. 64.[2]) Denique duo *substantiva generis neutrius*[3]) in epigr. Romanis μελίτιν pro μελίτιον in tit. prorsus barbaro n. 719 et στάδιν n. 947 in carmine vilissimo, ut ait Kaibel, dicendi genere argumentique vulgaritate insigni. Praeterea unum commemorandum est exemplum similis transmutationis *nominum quae in* -ιας *terminantur* in -ις, simodo n. 341 nomen recte supplevit Waddington Νεῖ[κις].

Hisce autem exemplis alia accedunt vestigia si non scripturae tamen pronuntiationis, versuum mensura firmata, quibus nemo adhuc animum advertisse videtur. Nonnullis enim in epigrammatis versus, quorum metrum claudicare apparet, tum bene fluere observamus, cum pro scriptis terminationibus -ιος -ιον legendo substituimus -ις -ιν.[4])

n. 344 in tit. multis modis corrupto, ubi v. 5 Μαιάδιν exstare vidimus:

v. 13 καὶ θρῆνος βαρύδουπον ἔχει πατὴρ Ἐλλάσιος οἴκοις.

n. 405, 6 Εὐφρόνιος Εὐκτήμων θ' εἵνεκεν εὐσεβίης.

n. 442, 2 Γαυδέντιος πινυτὸς ἄκρον ἔχων σοφίης.

---

1) Cf. Χαμοσόριν CIG. IV, n. 9219—9223. Πολυχρόνιν n. 9630.

2) Adde μαρμάρις in tit. Christ. Bull. de corresp. Hell. 1880. p. 199.

3) Cf. τὸ μαρτύριν CIG. IV, n. 8841, 9704; τὸ παλουμβάριν n. 8854; ψυχάριν n. 9606.

4) Simili ratione apud Plautum exempla exstant bisyllabae mensurae filius gaudium (Bücheler, Decl. Lat.² p. 25).

n. 841 in Thraciae tit. a. 149 p. Chr. n.
v. 6 Ἰανουάριος θεράπων εἵνεκεν εὐσεβίης.
n. 444 in Syriae tit. III fere saec.
v. 3 ὅς ποθ' ἡγεμόνος βενεφῖκιάριος κατὰ ἔθνος.
n. 950 Athenis. Hadriani fere aet.
Αἴλιον Ἀπολλώνιον κλεινὸν κοσμήτορα παίδων.
n. 968 Athenis. saec. III initio (senarius)
Ἐλευσείνιον γόνῳ με παῖδα Μακαρέως.
n. 351, 2 χρυσεόμαλλον ῥητιάριον τὸν πρὶν δὲ κυνηγόν.
Denique alterius generis unum exemplum
n. 340, 6 ἦν μέν μοι τέχνη λαοξόος, οὔνομα Μειδίας.
Unde discimus multo latius hunc morem in loquendi quam in scribendi usu patuisse.

Ad usus frequentiam illustrandam haec sufficiant, nisi quod hoc unum monendum videtur etiam in ipsius Graeciae titulis multo frequentiora inveniri exempla, quam pauca a nobis allata. — De explicatione autem diu multumque dubitaverunt viri docti. Ac nos quidem, cum iam viderimus, quantum hic intersit inter nominum Graecorum et Latinorum usum, haec qua ratione expedienda sint mittamus: sola Graeca respiciamus. Duplicem autem explicandi viam inierunt viri docti. Alii enim hanc declinationem a Graeca lingua alienam aliunde in sermonis Graeci consuetudinem illatam esse censent, aut a Romanis, quod cum statuere malit Ritschelius, ad temporum rationem, quibus primum apud Romanos, tum demum apud Graecos adhibitae sint istae formae, per se optime quadrare neminem fugit, aut ex orientis regionibus, ut Welcker, Keil, alii [1]) statuerunt, qui apud Aegyptios et Asiae quasdam nationes permulta nomina exstare in -is terminata, quorum ad similitudinem etiam Graecus usus facillime depravari potuerit, affirment. Sed utrique opinioni obstant ipsius Graeciae tituli,

1) Boeckhium idem sensisse ob hanc solam causam, quod barbaras has formas aliquot CIG. locis vocavit, minime cum Benselero (p. 169) concludo; saepius enim Boeckhium hac voce posterioris graecitatis vitia notare video, etiamsi de externa quadam origine ne cogitari quidem possit.

qui aperte demonstrent ab ipsis Graecis hanc mutationem ortam esse.[1]) Quod frequentiora exempla exstant in barbararum gentium titulis, quae lingua Graeca non indigena atque sua, sed externa utebantur, quam apud Graecos, nemo mirabitur. Graecam autem si agnoscimus originem, iam quaerendum est, quanam ratione ex ipsius Graecorum linguae natura et indole haec mutatio procreata sit. Ac postquam Lobeckii subtilissima explanatione (Pathol. p. 500 sqq.) procul abiecta est eorum opinio, qui cum Rossio ab antiquissimo aevo (de ipso Homero somniabant) huius mutationis primordia repetere studebant, unum restat ut contractione vel correptione quadam ex nominibus in *-ιος -ιον* breviores istas formas factas esse statuamus, quod et ad vulgaris sermonis universam indolem quadrat et, cum propria prae ceteris nomina sic affici videamus, bene congruit cum Fickii egregiis de personarum nominibus observationibus, quibus ad nomina personarum quacumque ratione contrahenda Graecos quam maxime propensos fuisse demonstraverit.

§ 2.

De metaplastis et heteroclitis.

In unaquaque lingua senescente ac pedetemptim ad labem vergente regularis et nominum et verborum declinatio eo praecipue destruitur, ut *ex falsa* quam vocamus *analogia* usitatissimae vocabulorum terminationes ab eis formis quarum propriae sunt ad alias transferantur: quo ex studio singula flexionis genera uniformia reddendi denique omnium cum omnibus evadit confusio ac perturbatio. Eiusmodi mutationum cum etiam in linguae Graecae posteriore usu satis multae inveniantur, unam hic nominum declinationis depravationem uberius tractabimus, quae ut paulo frequentius in titulis adhibetur, sic ad explicandam rationem qua progredi soleat talis analogia aptissima videtur, *accusativos* dico *nominum III. decl. in -αν pro -α exeuntes.*

---

1) Respiciendum est ipsum tit. Atheniensem n. 136 haud dubie in antiquissimorum huius mutationis exemplorum numero esse.

Incipiendum est a singulis epigrammatum exemplis colligendis, praesertim cum de quibusdam dubitent viri docti.[1])

n. 168 in tit. Att. propter barbariem saepius citato v. 3 τοῦτον ἔχω λιμέναν. v. 5 σωζέσθω ἰς πατρίδαν.

n. 167 χάριταν δοῦναι μητρί.

n. 368 (adm. rec.) v. 8 κλαύσατε... Θεοδώρας νεότηταν.

n. 372 (IV saec.) πρὸς πατέραν αἴλυθον (cf. p. 41).

n. 522 (adm. rec.) Thessaliae μητέραν διασώσαθ'.

n. 716 (Romae) ὅν ποθ' ἑταῖροι | Πετροκόρακαν ἔκληζον. Nominativum Πετροκόραξ habes v. 8.

n. 920 (Romae ab homine qui Tripolitanus natu erat II p. Chr. n. saec. posit.) πατρίδαν πόλιν.

n. 1135 in Musei Neapolitani vasculo Οἰδιπόδαν.

Quibus accedunt duo exempla, quorum auctoritas non ab omnibus comprobatur.

n. 372 enim haec leguntur v. 31 sq.

καὶ θρήνη]σε πατὴρ κ(αὶ) πᾶσα πατρίς κ(αὶ) πότνια μήτηρ
τὴν σὴν ἀωρότηταν κ(αὶ) ἀθαλάμευ[τον] ἡλικίην.

Sic (ΑΩΡΟΤΗΤΑΝ) exstat in lapide: quam scripturam cur cum Wilamovitzio in ἀωροτάτην mutemus, iustam non video causam. Solum enim quo quis niti possit argumentum, quod quantum video nullum aliud huius substantivi exemplum exstat (ἀωροσύνη legitur in titulis), cum alioqui gravissimum sit, in epigrammate recentiore omnibusque barbarismi indiciis instructo minoris est momenti, quoniam multa in eius modi inscriptionibus reperiuntur nove et inaudite dicta.[2]) Huius autem accusativi usus eo minorem habet offensam, quod in praescriptis aperte exstat πατέραν. — Difficilius est de tit. *n. 406* certum iudicium proferre, cuius initium sic edidit Franz (CIG. n. 4000)

ἀνδρειάνταν [ε]ἰσορᾷς, φί[λε Ζ]ωτικοῦ εἰκῶ, | ὅς ...

Huic restitutioni, quae bonum facilemque sensum praebeat, ad-

---

1) Huc etiam pertinet mira pronominis forma ἐμέν pro ἐμέ n. 322 (a. 214 p. Chr. n.).

2) Cf. cap. VIII, 4.

versatur, quod in lapidis apographo legitur ЄΙΚѠΝ, receptum a Kaibelio:

ἀνδρειάντ' ἂν [ε]ἰσορᾷς, φί[λε, Ζ]ωτικοῦ εἰκών.

Tum autem sententia tam puerilis efficitur (Hoc si aspicis signum, viator carissime, Zotici statua est) ut, cum tota huius tituli notitia solo Lucae apographo eoque pessimo constet, huius mendum statuere malim, nisi forte in ipsa forma εἰκών similem accusativum littera ν auctam agnoscimus. Habemus igitur decem certa testimonia huius mutationis satis rarae, omnia in titulis posterioris aevi, pleraque terrarum a genuino sermonis Graeci usu remotiorum. Idem quadrat ad reliquas inscriptionum formas, quas quidem invenerim:

CIG. n. 1781 ἄνδραν in tit. Thessaliae.
„ n. 2089 γυναῖκαν, θυγατέραν in tit. Olbiopolitano (Traiano non antiquiore).
„ n. 8619 χῖραν et n. 8795 χεῖραν.
„ n. 8691 τὸν ἄρχονταν (v. 18 et 27).
Ross. Inscr. Gr. ined. n. 261 ἄνδραν.
Mitth. d. arch. Inst. III p. 339 θυγατέραν in tit. Tanagr. (litt. ΑЄϹ)
Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη. 1880 p. 215 γυναῖκαν.

denique, quod non minoris aestimandum videtur quam inscriptionum testimonia, τὴν μητέραν in epistula hominis plebeii Aegyptii barbare conscripta (cit. Boeckh ad CIG. n. 1781 ex Peyr. Pap. Gr. I p. 22). Atque hoc quidem exemplo ad eam terram pervenimus, quae longe frequentissima huius usus exempla praebet, Aegyptum dico, cuius testimonia exstant apud *Septuaginta*, collecta a Sturzio De dial. Maced. et Alex. p. 127 sq.[1]) *αἶγαν, ἀκρίδαν, ἄνθρακαν, βασιλέαν, Βηθσαιδάν, γραμματέαν, γυναῖκαν, διπλοΐδαν, ἐλπίδαν, θώρακαν, ἱερέαν, κοιλάδαν, κοιτῶναν, μερίδαν, Νηρέαν, νύκταν, Πτολεμαΐδαν, ῥαγάδαν, σκνίφαν, φάραγγαν, φρέναν, χεῖραν.* Sed plebeii tantum sermonis proprias hasce formas fuisse vel inde cognoscitur, quod in Novi Testamenti, cuius sermo ceterum multis variisque labentis graecitatis indiciis impletus est, optimis qui-

1) Dolendum est, quod singulos locos nusquam laudavit.

dem codicibus aut rarissime aut nusquam tales accusativi reperiuntur, nisi quod in Apocalypsi propter frequentiora vestigia eos admisit Lachmannus ut *ἄρσεναν* 12, 13; *εἰκόναν* 13, 14; *μῆναν* 22, 2 (cf. A. Buttmann, Gramm. des neutest. Sprachgebr. p. 12 fin.).

Iam ad explicationem huius mutationis accedamus: quae separari non potest ab origine ac ratione substantivorum quorundam, quae ex antiquae graecitatis formis mirum in modum derivata etiam in hodiernorum Graecorum usu inveniuntur. Nam cum infima aetate singulorum casuum notio certe definita quae ante fuerat valde obscurata ac perturbata esset, nova denique orta sunt substantiva sic formata, ut ex casuum numero unus nominativi locum ac significationem usurparet, ex quo nova deinde huius vocabuli declinatio penderet.[1]) Per se autem intellegitur earum modo terminationum rationem hic haberi potuisse, quae nominativorum usitatis formis similes videbantur; nam ea erat atque usque ad hunc diem est indoles sermonis vulgaris, ut non tam plane nova atque inaudita proferat, quam omnia, quae antiquiore usu constant, confundat atque commisceat (ut Lobeck omnium rerum perturbatricem summo iure vocat vulgarem graecitatem). Itaque prae ceteris tertiae declinationis genetivi in *-ος*, accusativi sing. in *-α* et plur. in *-ας* apti erant, a quibus talis novarum formarum procreationis initium fieret. Sic ex accusativo *τὴν φλόγα* derivari poterat substantivum *ἡ φλόγα*, gen. *τῆς φλόγας*, eademque ratione *ἡ σφραγίδα*, *ἡ γυναῖκα*, *ἡ Δήμητρα* alia, et ex accusativis plur. substantiva in *-ας* ut *ὁ ἱερέας*, *ὁ βασιλέας*. De aetate autem huius mutationis unum exstare video testimonium apud Eustathium p. 665, 7 *ἀπὸ τοῦ φρίξ φρικὸς φρῖκα παρὰ τοῖς ὕστερον ἡ φρίκα καὶ ἡ φρίκη Ἰωνικῶς*; nam recte Lobeck, qui Paralip. p. 142 hunc locum laudat, vix futurum fuisse iudicat, ut in hanc opinionem inciderent Eustathii aequales, nisi iam illa aetate percrebruisset haec terminationum casualium perturbatio.

1) Simili ratione Romani Graeca quaedam verba Latinum in sermonem transtulerunt, e. g. *στατήρ*, acc. *στατῆρα*: statera, ae; *πλακοῦς*, acc. *πλακοῦντα*: placenta, ae.

Etiam in epigrammatis paucae quaedam exstant formae, quas quis primo aspectu huc referat. In tit. Smyrnaeo (litt. vulg.)

n. 312, 4 *ψυχὴ δ' ἐ(κ) κραδίης δ[ρ]άμ' ἐς αἴθερον εἴκελος αὔρῃ*,

ubi Jacobs ad coniecturam refugit *αἰθέρ' ἐπείκελον*, Kaibel autem heteroclitam formam recipere non dubitavit. Tota huius tituli a. 1647 effossi notitia uno nititur Bullialdi apographo, quod tamen accurate confectum esse non est quod negemus. Attamen equidem omnem dubitationem de huius formae auctoritate mittere me non potuisse confiteor. Hoc enim pro certo affirmaverim ab ipsius epigrammatis satis scite compositi poeta, quem cum ceterum haud indoctum tum Homeri imprimis gnarum fuisse ex bono sententiarum conexu et Homericarum formularum modico neque inepto usu concludimus, hanc formam vulgarem, cuius geminum exemplum non repperi, insertam non esse. Sed etiamsi hominem humilioris condicionis integrum epigramma, a quo omnis nominum mentio abest, suum in usum convertisse, aut quadratarii neglegentiae hanc formam vitiosam deberi statuamus, semper eadem remanet difficultas, quod in toto epigrammate sedecim versuum nullum praeterea linguae vulgaris vestigium exstat. Quidquid autem de huius formae vel auctore vel auctoritate iudicamus, explicationem grammaticam vix reperiemus aptiorem, quam si ex genetivo *αἰθέρος* substantivum II. declinationis fictum suspicamur. — Alterum autem, quod huc pertinere videtur adiectivum *μάκαρος* pro *μάκαρ* in tit. Italico

n. 656 τρὶς μάκαρος δὲ λίθος...

et *n. 454* (in Trachonitide II p. Chr. n. saec.)

αἰῶνος μακάρον νύχιον δόμον αὐτοὶ ἔτευξαν

aliter explicandum esse puto. Nam cum huius adiectivi, quod quantum video in pedestri oratione nusquam usurpatur, singularis sit terminatio *-αρ*, ex adiectivorum *μακάριος, μακαρτός* similitudine facile etiam *μάκαρος* formari poterat. Haec transformatio etiam eo adiuvabatur, quod unus huius adiectivi casus isque usu frequentissimus *μακάρων* (sic *νῆσοι μακάρων* in ipsis epigrammatis usque ad infimam aetatem saepius celebrantur cf. n. 366, 6. n. 648, 9. n. 649, 2. n. 1046, 9. *νῆσος*

μακάρων n. 472, 2. n. 1072) incertum relinquit tertiaene an secundae declinationis sit adiectivum.

Sed redeamus ad accusativos in *-αν* exeuntes. Inter hos enim et novam illam declinationem aliquem conexum interesse neminem fugit: quinam autem sit accuratius describendum est. Nam cum accusativi in *-αν* aptissime quadrent ad substantiva, qualia sunt *φλόγα*, *φρῖκα*, primo aspectu dubium non videtur, quin isti accusativi testes exstent locupletissimi iam antiquiore aetate, quam ceterum statuere solemus, hanc inauditam declinationem in regionibus paulo remotioribus usu esse pervulgatam. De qua opinione primum, quid Lobeck, auctor ille quidem ut in optima, sic in recentissima graecitate tractanda gravissimus, iudicaverit (l. c.), audiamus: 'Deinde cum exempla masculinorum et neutrorum indicium praebeant *ν* illud magis ephelcysticon quam ex heteroclisia tractum esse, res controversa erit, utrum ii, qui *ἐλπίδαν* protulerunt, ceteris quoque casibus ad hoc exemplum usi sint; quod ne liquido diiudicari possit obstat exemplorum paucitas et scribarum in syllabis finalibus crebra vacillatio. De cetero fieri poterat, ut obscuratis, quod frequenter accidit in vulgari dialecto casuum discriminibus unus ceteris celebrior et sonantior, qui est quartus casus nominativi locum occuparet.' Vel inde quod summo iure vir doctissimus scribarum[1]) vacillationi ut diligenter ratio habeatur admonet, longe maximam paene dixi solam fidem inscriptionum testimoniis hic tribuendam esse apparet. Quae cum sane pauca sint, tamen ad priorem illam opinionem impugnan-

1) Quamquam ipsum duco quibusdam locis parum respexisse librarios istos: quibus si credimus, ipsi Platoni (Cratyl. p. 404 *B*) accusativum *Δήμητραν* adscribemus, qui omnium codicum scriptura firmari videtur. Hunc enim locum cum tamquam certum testimonium laudaverit vir summus, non video cur non etiam in Hymnis Homericis traditum titulum *Εἰς Δήμητραν* retinuerit. Platonis autem locum ex subtili Cobeti observatione emendavit Schanz, et summo quidem iure, praesertim cum a librario parum diligenti ad sequentium accusativorum litterae *ν* exemplum etiam huic primo facillime apponi potuerit: *τί δὲ Δήμητρά τε καὶ Ἥραν καὶ Ἀπόλλω καὶ Ἀθηνᾶν.* Eadem ratione Apollodori loco (Bibl. I 1, 4) singulorum codicum vacillatio inter *Δήμητραν* et *Δήμητρα* expeditur: *πρῶτον μὲν Ἑστίαν κατέπιε εἶτα Δήμητρα καὶ Ἥραν* eqs.

dam satis gravia suppeditant argumenta. Nam cum femininorum accusativi facile a nominativis in -*α* derivari possint, in formis masculini generis ut *λιμέναν*, *πατέραν*, *Οἰδιπόδαν* hac explicatione, id quod minime fugit Lobeckium, plane destituimur. Prae ceteris autem ipsa usus frequentia hanc quaestionem diiudicat: nam accusativorum non minus sedecim titulorum testimonia enumeravimus: reliquorum casuum certum quidem nullum investigari poterat. Ergo explicationem potius ab universa quadam posterioris graecitatis ratione petimus, cuius ad praestantissima exempla illustranda mox accedemus. Namque ubi primum singularum formarum, ut casuum, notio certo ante definita paululum obscurari coepit[1]), non plena statim omnium rerum confusio ac perturbatio irrupit, quam aperte significant novicia ista substantiva, sed aliud antea exstitit studium, ut quacumque ratione quasi fulcirentur istae formae quae labem ac ruinam minarentur. Quamobrem eis formis maxime favebant illius aetatis homines, easque ubi non usitatae erant adhibere audebant, quae singulorum casuum notionem certa littera addita tam aperte ac dilucide exprimerent, ut ante ipsos oculos poneretur neque ulla relinqueretur dubitatio atque ambiguitas. Quo cum accederet, ut vulgaris graecitatis usitata pronuntiatio litteram *ν* in fine vocabulorum parum accurate ac perspicue exprimeret[2]), factum est, ut accusativi terminatio -*ν*, quae iam antea praeter primam et secundam etiam tertiae declinationis aliquam partem[3]) occupaverat etiam

---

1) Cf. caput ultimum.

2) Cf. Mullachium l. c. p. 155, ubi adde unum tituli testimonium in inscr. Chers. Taur. CIG. IV, n. 8851 *ἐς τὸ κάστρο*, et quae ipsi exposuimus p. 66. — Quam facile nasalis sonus verbis in fine addi potuerit, egregiis nuper testimoniis demonstratum est infinitivorum Thessalicorum in -*ειν* pro *αι* (in tit. Laris. a. 214 a. Chr. n., Lolling, Mitth. d. Arch. Inst. VII p. 62, cf. Robert, Herm. XVIII p. 474) ut *ὀνγράψειν*, *ἐσσέσθειν*, *δεδόσθειν* sim. Hasce enim formas non antiquitus in dialecto Thessalica servatas sed posteriore aetate ortas esse concludimus ex tit. Crann. non ante medium fere IV. a. Chr. n. saec. inscr. (Cauer n. 100, 5) regulari infinitivo *δεδόσθαι*.

3) Cf. *πόλιν*, *χάριν* sim., *ἥρων* de qua forma vide G. Meyerum, Gr. Gr. p. 283.

aliis huius declinationis formis, tamquam proprium atque solum accusativi signum, appingi inciperet; quod in dialectis quibusdam iam antiqua aetate accidisse titulorum Cypriorum testantur accusativi *ἀνδριjάνταν ἰjατῆραν*. — Infima demum aetate ex hisce ipsis accusativis *Δήμητραν*, *γυναῖκαν* sim., qui iam aliquot per saecula usum vulgarem occupaverant, quoniam profiteri videbantur primam declinationem, formati sunt nominativi reliquique casus.

Qua enim ratione talis immutatio paulatim procedat, optime observare licet in heteroclisia, quae in *radices III. decl. in -ες* desinentes irrupit; atque huius quoque memorabilia exempla epigrammata praebent. Nam cum iam antiquo aevo ex nominum propriorum nominativi ambiguitate duplex ortus esset accusativus *Σωκράτης Σωκράτη* et *Σωκράτην*, idem posteriore aetate interdum ad adiectiva transferebatur, ut duobus in epigrammatis [1]) n. 824a Tauromenii (Augusti aet.) *θυμάρην βιοτᾶς ὄλβον* et n. 1038 in tit. Pamphylio sat recenti *πρᾶξιν ἀσφαλήν·* Similium accusativorum vestigia Sturz ex Septuaginta collegit (l. c.) p. 127 sq. *ἀσεβήν ἀσθενήν μονογενήν συγγενήν*. Accedunt exempla quaedam ex Novi Testamenti codicibus, de quibus cf. Buttmannum l. c. — Denique hic quoque plena evasit confusio e nominativo et accusativo orta primae et tertiae declinationis, de qua memorabile exstat testimonium, quod ad Atheniensium sermonem vulgarem respicere bene suspicatur Ph. Buttmann (Gr. Gr. ampl. § 56 ann. 7) in Et. M. s. v. *τριακοντούτης* (cf. praeterea Lobeckium ad Phryn. p. 408) *Ἰστέον δὲ ὅτι τὰ παρὰ τὸ ἔτος παρ' ἡμῖν ὀξύτονα οἱ Ἀθηναῖοι βαρύνουσιν, οὐ μόνον γὰρ περὶ τὸν τόνον πταίουσιν ἀλλὰ καὶ περὶ τὴν κλίσιν· δωδεκαέτης γὰρ δωδεκαέτου κλίνεται, ὥσπερ οἰκέτης οἰκέτου· καὶ τὸ πληθυντικὸν δωδεκαέται ὥσπερ οἰκέται· δωδεκαέτεις ὤφειλε κλίνεσθαι* cett.

In inscriptionibus autem tot nominum propriorum exempla hanc perturbationem illustrant, ut plenum et absolutum declinationis schema ex eis possit componi.

Genetivi: *Σωκράτου* CIG. n. 2114c, CIA. III 2, 2227, *Διογένου* CIG. n. 8621, *Καλιγένου* ib. n. 9284, al.

1) Cf. Lebas n. 2390 *τὸν εὐσεβήν*.

Dativi: *Θευγένῃ* in epigr. Corcyraeo (litt. ЄCꞶ) n. 884 (cf. Kaibelii ann.).

Accusativi: *Ἑρμοκράτην* Kaib. n. 206, *Μενεκράτην* n. 321 *Ἀριστοτέλην* n. 848, *Διοκλῆν* n. 876, al.

Vocativi: *Δειοκλῆ* Kaib. n. 299, *Δαμοκράτη* n. 949, *Διομήδη* n. 1124, *Ἀγαθοκλῆ* CIG. 1148, *Σωκράτη* ib. n. 1150, *Ἀριστοκλῆ* n. 1153, *Μενεκράτη* n. 3116, *Σωσικλῆ* n. 3114, *Ἑρμογένη* n. 9689, *Ἑρμοκράτη* Mitth. d. arch. Inst. VI p. 128. — Cf. praeterea Bekkeri Anecd. p. 1190.

Cap. VI.

De pronominibus.

1. Satis magnam difficultatem duo praebent loci, quibus tertiae personae pronomina mirum in modum adhibentur. Atque in tit. Amorgino (litt. ⊏WE)

n. 274 *τριάκοντα δέ* μ ι ν *λυκάβαντας ἀναπλήσαντα*
δόγμασι μοιράων εἷλε μέλας θάνατος,

cum ipse de se loquatur defunctus, *με* pro *μιν* exspectaveris. Equidem, nisi, quod dubitanter proponit Kaibel, ultimos versus aliunde illatos statuimus, nullam video rationem, qua haec structura solvi possit. Tituli autem Berrhoeae eff. *n. 527* (litt. ЄCꞶ)

τοὔνεκά μ ι ν *στήλην γράψατο Σωζομένη*

tam perversa atque barbara est constructio, ut de eius explicatione desperandum videatur.

2. Pauca exstant exempla memorabilia liberioris usus pronominis, quod nos ad tertiam tantum personam referre solemus, in illis autem exemplis etiam ad primam secundamque personam spectare videmus. Multa de hoc usu disputaverunt viri docti, imprimis C. Brugman: Ein Problem der homerischen Textkritik; atque satis constat, quantopere inde ab Alexandrinorum fere aetate hic usus vetustissimus renovari atque latius patere coeperit (cf. Kühner, Gr. Gr. § 455, 7). De vulgari usu sufficiat ea memoravisse quae exposuit Mullach

p. 320 sq. Epigrammatum tria huc pertinent exempla, quorum in uno ad primam in reliquis ad secundam personam pertinet reflexivum. *n. 356* in tit. Hadrianis eff. III fere saec.

Τρόφιμος τόδε σῆμ' ἐποίησα | αὑτῷ καὶ τεκέεσσι[1]);

n. 491 in tit. Orchomen. II a. Chr. n. saec.

κεῖσαι δ' ἀγχόθι παιδὸς ἑοῦ ψαύων μελέεσσι,

n. 618 in tit. Rom. anni 94 p. Chr. n.

v. 19 *ἑοῦ δ' ἔχε φροντίδα κόσμου.*

3. Audacissimam et inauditam contractionem instituere ausus est poeta barbarus epigr. Phrygii (Christ. aet.) *n. 425*, qui ex analogia formarum quales sunt *ταὐτά* pro *τὰ αὐτά* similem dativi pl. formationem sibi finxit, articuli formam in consonantem exeuntem nil respiciens *ἤμασι ἐν ταὐτοῖς*.

4. Ex demonstrativis *οὗτος* et *ὅδε* (quae coniuncta ad augendam demonstrationem inveniuntur n. 273a (Romanae aetatis) *Διφίλου οὗτος ὅδ' ἐστὶ τύπος*), posteriore aetate passim ita inter se permutantur, ut quae formae alterius tantum pronominis in usu sint, ad alterum transferantur. Sic in Phoenicis illius tit. Att. *n. 96* *οὕτῃ* legitur pro usitato *τῇδε*, ubi accedebat formae *ταύτῃ* similitudo: nam etiam antiquiore aetate formarum pron. dem. a diphthongo et a *τ* incipientium non eam usus constantiam fuisse qualem Attici quasi certa lege sanxerunt, demonstrant inscriptiones Boeoticae[2]) et titulus Camiri, qui *τοῦτοι* praebeat (de quo cf. Curtium in Stud. Lips. IV p. 319). Eandem autem vacillationem in ipsis recentissimis titulis observamus, ut CIG. IV n. 8683 *πόλις ταύτη*, n. 8702 *ὁ πύργος τοῦτος*.

5. Denique scriptor epigr. Damasc. n. 431a formas *ἐνταῦθα* et *ἐντεῦθεν* mirum in modum inter se confudit, cum scriberet: *ἐντεῦθ' ἀρχιερεὺς ἐγώ ποτ' ᾤκουν*.

---

1) Prorsus geminum exemplum habemus in tit. barbaro Panticapaei CIG. n. 2114d *καὶ υἱοῦ Τειμοθέου οἰκοδόμησα* (sic) *αὑτῷ τὸ μνημεῖον*.

2) Novum vide exemplum *οὗτον* in tit. Tanagr. (litt. ΑΣ) Bull. de corr. Hell. 1880. p. 141.

Cap. VII.

De verborum flexione.

§ 1.

De praesenti et de imperfecto.

1. Hic unius potissimum verbi formatio commemoranda est, quae simodo certa est similibus formis, quae hic illic in codicibus leguntur, tituli auctoritatem addit. Legimus in tit. Megarico II vel III saec. n. 462

δόξες δ' ἐν ἄστει μυρίες αὔ[ξ]ούμενον.

Quamquam enim traditam scripturam ΑΥΙΟΥΜΕΝΟΝ alii aliter emendare studuerunt, ut formam satis miram evitarent (scripserunt αἰνούμενον, αὐχούμενον), tamen longe praestat facillima Boeckhii coniectura, qui pro Ι in lapide Ξ vel Ζ scriptum fuisse ratus αὐξούμενον scribat, barbarum, ut annotat, sed haud dubie verum. — In libris manuscriptis duo reperiuntur huius verbi vestigia αὐξοῦνται Plut. Mor. p. 724 et ηὔξουν Dio Cass. 89, 3 Bekk. (cf. Veitch Greek Verbs p. 115). Quamquam ex ipsis scriptorum textibus suo iure, ut mihi videtur, has formas removerunt recentiores editores, nam simodo hisce temporibus usu tam pervulgatae erant, ut ab ipsis auctoribus, quales fuerunt Plutarchus et Dio, adhiberentur, non sine causa mireris, quod tam paucula vestigia ad nostram aetatem in amplissimis horum scriptorum operibus servata sint. Sed tamen certa praebent testimonia de recentiorum quorundam librariorum usu vulgari. — Explicatio huius formae satis facilis est. Nam cum nonnullis in verbis iam ab antiquissima aetate duplex praesentis formatio usitata esset in -ω et -εω, ut apud Homerum ἕλκω et ἑλκέω, λούω et λοέω, μάχομαι et μαχέομαι (cf. Curt. Verb. I² p. 391), etiam in aliorum verborum praesens, quae in reliquis temporibus formas per ε auctas usurpabant, illud ε facile inferri potuit. Sic ex formarum αὐξήσω, ηὔξησα cett. analogia, cum praeter αὐξάνω praesens exstaret αὔξω, posteriore aetate tertium quoddam exstitit praesens αὐξέω, quod quantum videmus vulgaris usus terminos non transgressum est.

2. Pauca praeterea exstant, quae de praesenti monenda sint. Sic compluries I pers. sing. praes. ind. act. invenitur *per -ωι pro -ω* scripta, ut θάσσωι n. 199 in tit. Teli III vel II a. Chr. n. saec. et ἥκωι n. 984 (Philis), quae forma praecipue in titulis Aegyptiis saepius observatur, ut ἥκωι CIG. n. 4905 et 4956 v. 29, ἐκπράξωι v. 30, δώσωι, testimonia illa quidem eius vacillationis, quae ex litterae ι vocalibus ω et η adscriptae pronuntiatione paulatim evanescente [1]) etiam in scripturam irrumpere incipiebat, cum modo eiceretur, modo retineretur, interdum etiam eis formis, a quibus prorsus aliena erat, appingeretur, cf. La Rochium, Zeitschr. f. oesterr. Gymn. 1865. p. 89 sqq. et G. Meyeri Gr. Gr. § 116, quem miror quod luculentissimum huius confusionis exemplum simul cum ipsa formarum in -ωι mentione omisit, decretum videlicet Aegyptium CIG. n. 4957 amplioris ambitus, quod in Magna Oasi Iulius Demetrius a. 68 p. Chr. n. insculpendum curavit. In hoc igitur iota illud mutum constanter fere vocalibus Η et Ω adscriptum est δηλώσωι v. 9, ἄξωι v. 12, κελεύωι v. 16, 21, 35, 41, φυλάσσωι v. 34, ἀγνοῶι v. 45, παραγγέλλωι v. 52, δηλῶι v. 64, ut sola quae huc pertinent commemorem. Ac memoratu dignum videtur, quantopere cum hoc usu congruat papyri Hyperidei scriptura, cum summa libidine vel ommittatur ι, ubi poni debebat, vel, ubi nullum locum habeat, ponatur (cf. Blassium in praef. p. XI).

3. Formarum quas vocamus *iterativas* usus paulo frequentior in epigrammatis recentiore aetate exstitit, ortus ille quidem e recentiorum epicorum, imprimis Quinti Smyrnaei, consuetudine, qui non modo Homerica repetebant exempla sed etiam novis formandis operam dabant (cf. Curt. Verb. II² 406). Ex epigrammatis huc pertinent:

ἔχεσκες n. 569a Romae (litt. vulg.).
κατευθύνεσκες n. 243 Pergami (II p. Chr. n. saec.).
ἔσκεν n. 660 Romae.
ζώεσκεν n. 97 Athenis saec. III p. Chr. n.
προφέρεσκεν n. 686 Romae eiusd. aet.

1) Quod iam pridem evenerat in Lesbiorum Thessalorumque dialectis, cf. Meister, Dial. I, p. 86 sq., 305 sq.

ἔσκον n. 403 Sebastopoli saec. IV vel V.
n. 1028 in hymno in Isidem σελάγεσκες v. 9, σελάγεσ... v. 30, εἰθύνεσκον v. 62, ἰθύνεσκον v. 63.

4. Statim pauca subiungo, quae de *verbi substantivi imperfecto* monenda sunt. Nam medialis flexionis pro usitata activa satis larga vestigia in epigrammatis exstant:
ἤμην *n. 241b* in tit. Smyrnaeo, propterea memorabili, quod versus mensura aperte breviorem formam exigit:

Πυρρωνιαστὰς Μενεκλέης ὅδ' ἤμην ἐγώ.

n. 337 v. 1 et 5 Cyzici (Elagabali aetate).
n. 415 Alexandriae (litt. ЕⵎⲰ).
n. 459 in Trachonitide.
n. 502 v. 15 prope Thebas (III vel IV saec.).
n. 587 Urbini.
in titulis Romanis *n. 595* (II saec.), *n. 610*, *n. 613* (II saec.), *n. 615* (II vel III saec.), *n. 1117* in musei Bononiensis herma.
ἦσο *n. 379* in tit. barbaro Aezanis eff. ἐπεὶ πολὺ φίλτατος ἦσο.
ἦτον *n. 719* in tit. Romano eiusdem condicionis πατρὶς δέ μοι ἦτον Ἀπαμέα.

Atque posterioris et vulgaris graecitatis propriam fuisse hanc flexionem inter omnes constat (cf. Mullach. l. c. p. 281, Sander, Neugriech. Gramm. p. 90), sed de primae quidem personae usu multo antiquiore ipse Lobeck minime dubitavit in annotatione ad Phrynichi haec verba (p. 152): ἤμην, εἰ καὶ εὑρίσκεται παρὰ τοῖς ἀρχαίοις[1]), οὐκ ἐρεῖς, ἀλλ' ἦν ἐγώ· Duo potissimum loci hoc confirmare olim videbantur, alter Xenophontis Cyrop. VI, 1. 9 ἐγὼ μέν, ὅτε μὲν οἴκοι ἤμην, ἐστρατευόμην, alter Lysiae p. 111, 17; sed uterque nunc a Dindorfio (ἦν) et Dobraeo (εἴην) optime emendatus est, cum falsa scriptura ἤμην, ut Dindorf in amplissima annotatione ad locum Xenophonteum exposuit, in hoc ex sequente ἐστρατευόμην, in illo ex praecedente ἐκεκτήμην orta facillime expediatur.

---

1) Contrarium monet Phavorinus: ἤμην οὐχ εὑρίσκεται παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, ἀλλ' ἦν ἐγώ.

§ 2.

De augmento et de reduplicatione.

1. Primum breviter attigerim locum quendam, quo augmenti significationem aegre desideramus. Nam cum mediis in epigrammatis augmentum omissum ne minimam quidem difficultatem praebere per se intellegatur, iure miramur, quod in Balbillae epigrammatis praescriptis n. 989 legimus: ὅτε τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ οὐκ ἀκούσαμεν[1]) τοῦ Μέμνονος. Atqui in posterioris aetatis sermone vulgari augmentum haud raro omitti videmus (cf. οἰκοδόμησεν n. 450)[2]): huius autem vestigia in tam doctae poetriae carmine vix exspectamus. Quamobrem alia quaerenda est explicatio. Iam cum ipsa epigrammata testentur Balbillam id egisse, ut dialectum Aeolicam in carminibus imitaretur, quam, cum ex vivo loquendi usu remota esset, nisi ex poetarum libris atque grammaticorum praeceptis ediscere non posset, videmus, quam facile talis forma, cui adhibendae anxie operam dabat, etiam in praescripta inferri potuerit. Reconditiorem causam non quaerendam esse iusta augmenti forma comprobat in tit. 990 praescriptis: Ἰουλίας Βαλβίλλας, ὅτε ἤκουσε τοῦ Μέμνονος ὁ σεβαστὸς Ἀδριανός.

2. ἠργάσ(σ)ατο *n. 778* Calymnae litt. ΓΣ. ἠργάζοντο *n. 579* in Foro Iulii saec. II p. Chr. n. Non hisce solis locis ea verba, quorum augmentum pro regulari quod videtur[3]) η diphthongum ει praebet, tamen per η scripta exstant. Quamquam antiquissimum, quod exstare videtur exemplum similis mutationis apud Homerum λ, 580 ἤλκησε (sic ex libris edidit Nauck) suo iure La Roche in ἕλκησε mutavit. Nam unus ex codicibus ἕλκησε, alii εἵλκησε praebent, atque huius verbi forma augmento instructa nullo alio Homeri loco exstat neque omnino

1) De scripturae fide vide Puchsteinium l. c. p. 26.

2) Cf. e. g. οἰκοδόμησα CIG. n. 2114d et n. 9894b, οἰκτείρησε n. 9540, 2b, ἀναχωρήθην in Silconis titulo n. 5072, ἐπηδήμησα (= ἐπι-δήμησα) n. 9151a, οἰκοδόμησε Lebas Voyage arch. n. 2220, 2262, 2389 al.

3) Veram enim rationem longe aliam esse constat. Cf. Curt. Verb. I² p. 125 sqq.

hoc in versu locum habere potest, quoniam praecedentis syllabae productio ϝέλκησε pronuntiatum esse indicat

Λητὼ γὰρ ἕλκησε Διὸς κυδρὴν παράκοιτιν.

Praeterea cavendum est, ne formas Doricas, in quibus εε constanter in η contrahatur, huc referamus. Sic tituli Attici a Theraeo positi n. 762 (cf. p. 14) forma ἐξηργάξατο non magis huc pertinet, quam ex glossis Hesychianis incertae originis, quales sunt ἥπετο, coniecturam de irregularis augmenti usu facere possumus. Sed de ipsius verbi ἐργάζεσθαι scriptura non desunt titulorum testimonia Atticorum collecta a Wecklinio (Cur. epigr. p. 36) CIG. n. 162 ἠργάζετο (circa ol. 120—130), Eph. A. 3701 ἐξηργάσατο.[1]) Sed ut vir doctissimus CIG. n. 462 = Kaib. 762 falso huc rettulit, sic gravissimum omnium exemplorum omisit CIA. II n. 14 (Ol. 98, 2)[2]), ubi v. 17 legitur ΗΡΓΑΣΟΝ.... Ex hoc enim apparet, quam recte sese habeat scriptura papyri Hyperidei IV col. 44. ἠργάζετο cf. Hager, De graecitate Hyperidea (Curt. Stud. III p. 105) qui aliis librorum manuscriptorum exemplis collectis etiam grammatici cuiusdam excitavit testimonium (Crameri Anecd. Oxon. p. 412, 22), ubi, postquam verborum ab ε incipientium augmentum per η scribi monuit, has enumerat exceptiones *χωρὶς τοῦ ἐθίζω εἴθιζον· τοῦτο γὰρ διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφεται· καὶ τοῦ ἐργάζομαι εἰργαζόμην, ὅπερ καὶ διαφορεῖται· τινὲς μὲν γὰρ διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφουσιν αὐτό, τινὲς δὲ διὰ τοῦ η.*

3. ἤφεραν in tit. Attico *n. 168*, cuius barbarismi reliqua vestigia suo loco enumeravimus. Atque in epigrammatis quidem simile exemplum exstat nullum, sed ut in hodierno Graecorum usu pervulgatae sunt eiusmodi formae, sic in posteriore graecitate minime raras fuisse affirmat Mullach l. c. p. 248, ubi ἤγραφα, ἤλεγα alia affert. Accedit grammatici testimonium in Herodiani qui fertur (cf. Lentz, Herod. I praef. p. XV) libro *περὶ ἡμαρτημένων λέξεων* (G. Herm., De emend. rat. gramm. Gr. p. 315) *ὁμοίως πλημμελοῦσιν οἱ λέγουσιν ἀπήλαυσα καὶ ἀπήλαυσε, δέον μόνον διὰ τοῦ ε ἀπέλαυσα καὶ ἀπέλαυσε.*

1) Ex recentioribus addo ἠργασμ... in tit. Diocletiani aetatis, Mitth. d. arch. Inst. V p. 72 et ἠργάσατο Lebas n. 1367.

2) Cf. O. Riemann, Bull. de corr. Hell. 1879. p. 499 sq.

Praeterea non minus quam omnes fere reliquae vulgaris dialecti formae, etiam talia praeterita passim leguntur in antiquiorum scriptorum ut Isocratis codicibus, inserta videlicet per librariorum neglegentiam.

Sed iam videamus explicationem harum formarum a Mullachio prolatam, quam silentio transire nolim, quoniam aptissima videtur ad illustrandam perversam rationem Mullachii aliorumque, qui nihil antiquius habeant, quam ut omnia Neograeca ab aetatis quam antiquissimae memoria atque, simodo ulla ratione fieri potest, ab ipso Homero repetant. Audiamus, quo perducant doctos ceterum atque sanos homines istae ineptiae: 'Eine andere Abweichung von der gewöhnlichen Sprache hinsichtlich des Augments besteht in der Verstärkung des Augmenti syllabici durch das Augmentum temporale, so dass *ἤγραφα, ἤπιαν, ἤλεγε* in der plebeiischen Ausdrucksweise gehört wird. Auch bei dieser Abweichung liegen antike Vorgänge zu Grunde. Die bekanntesten Beispiele sind die Verba *βούλομαι δύναμαι μέλλω*, welche in ihren attischen Formen *ἠδυνάμην ἠβουλόμην ἤμελλον* neben *ἐδυνάμην* das Vorbild für die in Rede stehenden Erscheinungen geben.' Quacumque ratione hasce formas vetustiores expedimus (nam satis difficilis est earum explicatio), tamen hoc unum certissime constat cum istis recentissimis nihil eis commune esse. Nam posterioris graecitatis formae ex eius ipsius indole explicandae sunt. Itaque, ut breviter quid sentiam eloquar, non ex flexionis mutatione hanc augmenti formationem ortam esse duco, sed ex universa, quam accuratius descripsimus, vocalium quantitatis perturbatione eo progressa, ut vocales longae et breves vix distingui possent ab illius aetatis hominibus. Mensurae autem differentia deleta accedebat similitudo quaedam cum ingenti verborum multitudine, quorum augmentum, temporale videlicet, per *η* scribitur: unde evenit, ut *η* brevis vocalis *ε* locum in augmento significando usurparetur, nusquam fere *αι*, quod ex reliquis vocalis *ε* mutationibus expectaveris, quamquam huius quoque unum quidem exemplum investigavi in tit. Christiano CIG. n. 8862 *ἀναίθηκαν*.

4. Inde ab antiquissimo aevo cum certissima fuisset grae-

citatis regula, quae solis indicativi formis augmentum concederet, hic usus etiam recentiore aetate tam penitus in plebis consuetudine inhaesit, ut constanter retineretur. Attamen tituli quidam omnibus barbarismi notis praediti paucissima praebent exempla augmenti in eas formas, a quibus alienum est, illati, participium scilicet et imperativum. *n. 314* in tit. Smyrnaeo III saec.

v. 9 *καί μ' ἔτρεφεν γενέτης μητέρα μου τροφὸν ε ἰ λ ά - μ ε ν ο ς* [1])

ubi ipsum metrum longam syllabam requirit (cf. p. 80). — *n. 427* in tit. Christ. (Hadrianis eff.)

v. 2 *ἀνδράσιν [ἁ]γίοις· δόξαν ἐ φ - ε ι λ ά μ [ε] ν ο ς ,*

et in fine tit. *n. 452* III fere saec. (prope Damam eff.)

δέχεο γηράσαντας ἐς Ἄιδου πότνια νύμφη
καὶ ψυχὰς π ρ ο ύ π ε μ π ε ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθυς.

Memorabilia haec exstant testimonia, quousque inferiore aetate progressa sit usus perturbatio.

5. Hisce de augmento expositis statim addam singularem quandam *reduplicationis formationem,* quae in recentiore *Amorginorum* usu exstitisse videtur. Duobus enim in titulis verborum a *λ* vel *κ* incipientium reduplicatio per simplicem *ε* exprimitur.

n. 274 (litt. ⊏WE) *εἰ δὲ μαθεῖν σὺ ποθεῖς, τίνα μ' ἐνθάδε τύμβος ἔ κ ε υ θ ε ν*

ubi de imperfecti notione cogitari non potest et *n. 284*

μὴ γελάσῃς, ξένε, μοῖραν ὁρᾷς, οἵαν ἔ λ ο ν χ α.

Corrigendo tollere hasce formas, quamvis singulares sint [2]), non audeo, praesertim cum satis mirum esset, quod idem vitium in duobus eiusdem fere aetatis eiusdemque insulae inscriptionibus reperitur (cf. Schneidewinum Philol. IX p. 391).

§ 3.

De aoristo.

Iam ad eam pervenimus verbi Graeci partem, quae cum longe gravissimas mutationes subierit, etiam universam poste-

1) De hac forma cf. Curtii Verb. II² p. 311 sq.

2) Cf. Curt. Verb. II² p. 165.

rioris graecitatis indolem aptissime illustrat. In aoristo enim miram observamus confusionem formarum, quae cum ipsa formatione prorsus diversae inter se sint, tamen notionis plane geminae communi vinculo inter se coniungantur. Atque, ut rectissime Curtius monet (Verb. II² p. 311) vel ob id ipsum satis memorabilis est ista perturbatio, quod ex ea aperte elucet, quantopere etiam recentiore aetate Graeci artissimum conexum senserint, qui inter singulas aoristi formas quam maxime inter se divergentes intercedat. Habemus enim aoristi primi permixtionem cum aoristo secundo ita confectam, ut secundi stirpi terminationes primi adderentur. Quas formas ex eius aetatis, qua primum innotuerint, usitata significatione *aoristi Alexandrini* nomine complecti solemus. Archetypa autem huius quidem formationis revera a vetustissimo linguae Graecae usu repetuntur, quoniam duo exempla inde ab Homero per omnia saecula usitata fuisse videmus, *εἶπον* et *εἶπα*, *ἤνεγκον* et *ἤνεγκα*: quamquam uberrima exempla collecta a viris doctis (imprimis a La Rochio, Ztschr. f. oest. Gymn. 1872. p. 125, cf. Curt. Verb. II² p. 310) in singulis modis ac personis significandis modo hanc modo illam formam praelatam fuisse docuerunt, ut *εἶπας* et *εἴπατε* omnibus temporibus saepissime usurpabantur, contra rarior erat primae pers. *εἶπα* et participii *εἴπας* usus, quae tamen saepius apud Herodotum inveniuntur. Isti igitur aoristi soli erant, qui a scriptoribus melioris aetatis adhibebantur; quod expressis verbis monere eo minus omiserim, quia viri docti, ut ipse Lobeck (ad Phryn. p. 139), hoc tam certo affirmare non audebant propter singula quaedam exempla in optimorum scriptorum codicibus exstantia, quae nostri saeculi editores, ut librariorum vulgaris dialecti testimonia, summo iure expellenda curaverunt, haud raro optimorum librorum fide nitentes, ut in antiquissimo fere Lobeckii exemplo Andoc. I, 15, ubi pro vulgata scriptura *εὑράμενος* ex codd. *AB* *εὑρόμενος* restitutum est. Contra Alexandrinorum aetate in dies aucta est harum formarum frequentia, quarum exempla prae ceteris apud Septuaginta et in Novi Testamenti codicibus occurrunt, cf. Buttmann, Gr. d. neutest. Sprachgebr. p. 34 atque Sturz, De dial. Al. p. 60 sqq., qui permagnam

exemplorum multitudinem congessit. Praeterea, ne grammaticos hanc perturbationem minus curasse credas, duo praecepta proferam, quibus ne quis adhibeat falsas istas formas admonent, *Phrynichi* (p. 139) *εὕρασθαι οὐκ ἐρεῖς προπαροξυτόνως διὰ τοῦ α, ἀλλὰ παροξυτόνως διὰ τοῦ ε* et incerti auctoris *π. ἡμαρτ. λέξ.* (l. c. p. 314) *ἔτι ἁμαρτάνουσιν οἱ λέγοντες ἀφειλάμην καὶ ἀφείλατο δέον λέγειν διὰ τοῦ ο ἀφειλόμην καὶ διὰ τοῦ ε ἀφείλετο.* Vehementer autem erraverit, qui reliquas aoristi formas propter Alexandrini frequentiam paulatim evanuisse suspicetur; immo vero apud eundem scriptorem promiscue omnes formae leguntur, ut quid quoque loco scripserit auctor saepius dignosci vix possit, cum multis locis vulgaris sermonis vestigia librario tribuere malimus, quam scriptori. Neque iniuria talem dubitationem moveri scripturae fluctuatio in singulis eiusdem libri codicibus dilucide demonstrat, ut ex Veteris Testamenti libris manuscriptis longe plurima aoristi Alexandrini vestigia in ipso codice Alexandrino exstare Buttmann admonet. Vel ex eis quae hic delineavimus magis quam descripsimus, facile perspicitur, quantum hic quoque tribuendum sit inscriptionum testimoniis, quae sola omnem dubitationem de genuina auctoris scriptura excludant. Quamobrem epigrammatum exemplis colligendis operam dedimus. Ac primum quidem multa aoristorum *εἶπα* et *ἤνεγκα* exempla exstare per se intellegitur. Memorabile autem videtur ipsius participii *εἴπας* ceterum rarius adhibiti complura inveniri vestigia. Sic legitur *εἴπας* in tit. Pholegandri melioris aetatis *n. 190, n. 522* (Thessalonicae), *n. 713* (Ficuleae), *προςείπας n. 781* (Cnidi). Aoristi autem verbi *φέρειν* praeter vulgarem formam *ἠνεγκάμην* (nam formam activam non repperi) n. 568, 967, 1044 al. interdum etiam Homerica *ἠνεικάμην* invenitur, ut n. 563. — Reliqua aoristi Alexandrini haec sunt exempla:

1. *ἄγειν ἀπήγαγαν* n. 526 apud Berrhoen.
   συνήγαγα in tit. apud Ietas eff. Kaib. praef. p. XXI.

Etiam a grammaticis istae formae laudantur:

Hesych. ἀγάγας ἀντὶ τοῦ ἀγαγών
ἄγαγον ἀντὶ τοῦ ἄγαγε

Phryn. p. 348 ἄγαγον· καὶ τοῦτο, εἰ μὲν τὴν μετοχὴν εἶχεν ὁ ἀγάγας, ἐν λόγῳ ἄν τινι ἦν· λεκτέον οὖν ἄγαγε, καὶ γὰρ ἡ μετοχὴ ἀγαγὼν ὡς ἄνελε ἀνελών.

2. αἱρεῖν in quinque epigramm. saec. II—IV p. Chr. n.[1])
 ἀφ-ίλα[τ]' ἐν αὐτῇ ex Kaibelii coniectura pro ΑΦΙΛΑ-ΜΕΝ in tit. Thessalico n. 544.
 ἀφ-είλατο n. 700 Romae saec. II v. III.
 ἀν-είλατο n. 404 in Galatiae tit.
 εἵλατο εἱλάμενος, ἀνεῖλαν, εἶλαν n. 314 saec. III.
 ἐφ-ειλάμενος n. 427 saec. III v. IV.

3. ἔχειν. ἔσχα n. 120 in barbaro tit. Att., ubi v. 4 ex certa emendatione legimus ἔσ]χον, ut etiam in tit. Romano non minus barbaro n. 722 utramque formam habemus ἐσχ' = ἔσχα et ἔσχον.
 ἔσχα n. 290 Trallibus.
 ἔσχα n. 689 Romae in tit. adm. recenti.

4. εὑρίσκειν medii tantum formas praebet
 εὑράμενος n. 863 Eleusine (Hadriani aet.).
 εὕρατο n. 878 Athenis. saec. III p. Chr. n.
 εὑρ[ά]μενος n. 452 Damae (Η in lapide pro Α).

5. ἔρχεσθαι duplicem praebet formam, alteram
 ἦλθα[2]) n. 722, n. 920 II Rom. (saec. IV) et n. 643a ἦ[λθ]α Romae, litt. vulg. (Mus. Rhen. XXXIV) (in lapide exstat ΗΊΟΑ), alteram
 ἤλυθα n. 565 Florentiae s. II p. Chr. n.

Iam in originem harum formarum accuratius inquiramus. Atque si linguae Graecae historiam inde ab Homeri aevo usque ad recentissima tempora percurrimus, secundi quem vocant aoristi eam indolem esse videmus, ut cum ab initio minus frequens eius fuerit usus, paulatim magis magisque evanescat. Sic iam in Atticorum sermone paucorum tantum verborum aoristi secundi usitati sunt. Quod unde ortum sit facile in-

1) Adde CIG. 9269 εἵλατο.

2) Adde ἦλθα in tit. Spart. (litt. ЄСⲰ) Bull. de corresp. Hell. 1879. p. 197 et in tit. Syr. Christ. aet. CIG. n. 9151a, et imperativum ἔλθον Rev. arch. 1877. XXXIII p. 298.

tellegimus. Nam simodo uniuscuiusque formae id quasi munus est, ut certam sive personam, sive rem, sive actionem, seu aliud quidpiam tam accurate exprimat, ut a reliquis omnibus facile seiungatur, eas, quae aliquam notionis ambiguitatem admittant, minus commodas aptasque esse apparet. Cum igitur ipse linguae usus, ubicumque potest, tales formas respuat, facile accidit, ut paulatim rarius usurpentur, denique modo non evanescant. Iam gravissimam eiusmodi difficultatem in aoristi secundi similitudine cum imperfecti formatione positam esse agnoscimus, de qua vide subtilissimam expositionem Curtii Verb. II[2] p. 1 sqq. Etenim si formas, quales sunt ἔτραφον et ἔγραφον inter se comparamus, per se differentiam inter utramque sentimus nullam. Itaque, ut omnino alteram aoristi, alteram imperfecti esse cognoscatur, ad utriusque praesentis formam recurrendum est τρέφειν et γράφειν. Sin autem quacumque ratione haec differentia obscurabatur vel tollebatur, tantopere crescebat ambiguitas, ut ferri non posset. Quod in dialectorum quibusdam formis evenisse ipsius verbi τρέφειν exemplo demonstratur. Nam cum apud Homerum propter frequentem imperfecti ἔτρεφον usum, forma ἔτραφον aperte aoristum significet, eadem aoristus sit an imperfectum apud Pindarum, propter Doricam formam τράφειν, non liquet. Atque nova quaedam difficultas et ambiguitas aliquot formis usitatissimis addita est ex recentioris aevi depravatione quantitatis. Nam cum e. g. formarum ἔλειπον et ἔλιπον differentia tum quidem sola in vocalis mensura posita esset (élīpon : elĭpon), hac confusa nullo modo inter se separari poterant.

Atque duplex quidem huius ambiguitatis praesto erat remedium, quorum ex altero, optima aetate usitatissimo, pro secundi aoristi quasi inutili forma aoristus primus ex regula factus adhiberetur λείπω ἔλειψα. Harum formarum multae, quae iam antiquiore aetate formatae essent, ut regulares in Atticorum usum receptae sunt, aliae recentiore tantum aevo ortae vulgarismi potius quam litterarum usus propriae sunt; ut ex epigrammatis pauca quaedam memorabilia exempla enumero *ἀφιξάμενοι n. 981* (Philis saec. I p. Chr. n.), cuius forma activa ἶξα, ἵξατε exstat A. P. VIII, 171 et vulg. in Quint. Smyrn.

XII 461 legitur, quamquam recentiores editores ἶξον praeferunt, et aoristi ἦξα[1]) (qui iam legitur Hes. Op. 434. 440) tertia persona ἦξεν n. 511. — Altera ratio ambiguitatis tollendae ea erat, ut dubiis terminationibus remotis aperta aoristi forma construeretur. Quo enim minor erat aoristi sec. frequentia, eo magis ea invaluit opinio, ut primi aoristi terminationes Graeci totius aoristi proprias atque unice veras esse statuerent itaque omnium aoristorum communem notionem etiam eodem signo exprimere studerent. Praeterea accedit, quod in linguae Graecae vulgari usu tractando semper respiciendum est, ut per totum fere orbem terrarum sermonis Graeci usus pervulgatus fuerit. Barbari autem, quos multis epigrammatum locis agnovimus, cum linguae Graecae minus gnari essent, eam haud dubie saepius inierunt rationem, ut ad formarum, quas forte iam didicerant, analogiam alias sibi ipsi fingerent. Nec minus adiuvabant huius formationis frequentiam archetypa ista antiquissima εἶπα et ἤνεγκα, a quibus tota haec perturbatio originem ducere facile poterat.

Denique satis magnum argumentum ad hanc confusionem sublevandam accedebat, quod utriusque formationis III. pers. sg. (ea videlicet quae usus frequentia reliquas superat) plane eadem est. Iam non minus, quam ex nominativorum in -ης ambiguitate accusativos in -η et -ην derivatos vidimus, hanc quoque formam omnibus aoristis communem reliquarum perturbationem auxisse existimo. Cuius rei certa indicia paucis in aoristorum formis, quae omnibus quae adhuc exposuimus repugnare videntur, repperisse mihi videor. Exstant enim in titulis secundi aoristi nonnulla exempla derivata a verbis, quorum solus aoristus primus inde ab antiquissima aetate adhibebatur.

ἔζησον n. 588 in barbaro tit. Rom. III saec.

Eiusdem aoristi vestigium artissime cum regulari forma coniunctum legimus n. 646a (praef. p. XV) Romae (litt. ЄCW)

φρόντιζ' ἕως ζῇς, πῶς καλῶς ταφήσεε,
καὶ ζῆσον ὡς ζήσο[ις]· κάτω γὰρ οὐκ ἔχες

---

1) Cf. Christianos titulos CIG. 8786 μετῆξε, 8787 προσῆξε, 8806 προσῆξα. Cf. praeterea Phryn. p. 287.

ubi ζήσοις optime restituit Kaibel ex tradito

ZHCOKKATΩ
ZHCOIC

μνήσεο n. 725, v. 11 in tit. Christ. Augustoduni; nam de alia huius tituli forma χρῆσε v. 2 certi nil constat. Potest enim similis aoristi imperativus esse, potest, etiamsi versus mensura secundae syllabae brevitatem exposcat, pro χρῆσαι scriptum esse.

ὀπάσοιεν n. 919 in tit. propter barbariem saepius memorato.

ἥρπαξες n. 570, 1 Romae (saec. II non recentius).

ἥρπασες in duobus tit. Italicis n. 577 et 578.

ἀπέσπασες n. 244, 1 prope Cyzicum (litt. vulg.).

Cui accedit prorsus geminum exemplum epigr. Cyziceni nuper effossi ἔλυσες (Mitth. d. arch. Inst. VI p. 129).[1]) — Hasce formas ex analogia similium Homericarum ut ἷξον, οἴσετε (de quibus cf. Curt. Verb. II² p. 307 sq.), formatas esse facile suspicamur. Sed unum idque gravissimum obstat argumentum, quod ceteris in verbis prorsus contrarium studium observamus, ut secundi aoristi formae quam maxime removeantur. Quamobrem equidem aliam praefero explicationem, quam a titulorum quos attulimus condicione repetimus. Inde enim, quod in epigrammatum n. 577 sq. archetypo n. 576 (de quo supra exposuimus) scriptum est ἥρπασας, cognoscimus formam ἥρπασες illis inscriptionibus insertam, sive inscito imitatori, sive quadratario debemus, e vulgari loquendi ratione pedem huc intulisse. Atqui exempla, quorum ad analogiam istae formae revocari poterant, apud solum fere Homerum inveniuntur. Itaque, si epigrammatum sermonis propriae essent, nemo miraretur; qui autem in posterioris aevi dialectum vulgarem exempla ab Homero repetita inferri potuerint, equidem non video. — Immo vero a III. pers. sing. natura in explicatione proficiscendum videtur. Ex hac enim forma per se ambigua ἥρπασε, praecipue in regionis barbarae usu, facile primum II. pers.

1) Praeterea aliorum titulorum ἀνεπαύσετο CIG. 9730 et Lebas Voyage arch. n. 1986 ἐπαύσετο. προφθάσοι CIG. n. 9544 (a. 1186 p. Chr. n.) οἰκοδόμησες et ἔκτισες Lebas. l. c. n. 2415.

forma poterat derivari, deinde ex his duabus plena huius temporis flexio suppleri: ἥρπασε ἥρπασες ἔζησον. Nam ex tredecim quae enumeravimus exemplis sex II. sunt personae. Dilucide autem hanc fuisse mutationis illius pedetemptim irrepentis rationem apparet ex tit. *570*, ubi, cum in v. 1 II. quidem pers. formam noviciam ἥρπαξες invenerimus, in fine carminis III. pers. regularis exstet ἥρπασαν. Ac ne quis apographi fortasse mendum statuendum putet, ipse Visconti ΗΡΠΑΞЄϹ in lapide legi testatur.

Sed ubi primum aliqua depravatio in linguam irrupit, fieri non potest, quin mox paulo latius patere incipiat easque ipsas formas quasi inficere, a quibus per se aliena est. Sic propter formarum similitudinem aoristorum confusio denique etiam *imperfectum* aggressa est. Apud hodiernos enim Graecos eius regularis est atque usitata formatio per terminationem -α antiquo imperfecto eadem ratione additam, qua ex aoristo secundo Alexandrinae istae formae ortae sunt. Atque huius etiam depravationis primordia in epigrammatis reperiuntur in duobus titulis Atticis, utroque barbaro ἤλπιζα *n. 167*, ἤφεραν *n. 168*. Quas formas cum imperfecta vulgaria esse per se verisimillimum videatur, tamen suspicio oritur, nonne aoristos esse rectius fortasse statuamus. Quoniam autem cavendum est, ne subtiliorem singulorum temporum notionis distinctionem in barbaris hisce titulis exspectemus, disceptatur haec quaestio solo alius epigrammatis testimonio *n. 339* (quod Cyzici olim positum fuisse conicit Boeckh; litt. vulg.)

εἰ δὲ θέλαις σὺ μαθεῖν τὸ τίς ἐστί μ᾽ ὁ τρώσας.

Ex hac enim mira optativi forma [1]) cognoscimus eo progressam esse universam confusionem non modo formarum verum etiam significationis, ut ex ipso imperfecto, additis primi aoristi terminationibus, plena aoristi flexio conficeretur. — Huc etiam refero aliam formam cuius de fide cum iniuria dubitaverunt viri docti: Romae enim in tit. Christiano *n. 731* legitur κατέλιπα, quod Kirchhoff, metrum haud dubie pro virili parte reficiendum curans, mutavit in κατέλιψα. Quamquam enim

1) Nisi forte quadratarii mendum statuere mavis.

ne sic quidem omnia versus barbari vitia removentur, tamen mediam huius vocabuli syllabam productam esse apparet:

πληρώσας κατέλῖπα σῶμα χθονὶ πο̄λυβοτίρῃ

quamobrem ab aoristi quidem forma *ἔλῐπον* derivari vix potest. Quid, si hic quoque statuimus aoristi formationem exstare non tam ex aoristo *ἔλῐπον*, quam ex imperfecto *ἔλειπον* (scr. *ἔλιπον*, ut n. 431 *λίπω*) ortam? Sic omnis dubitatio de huius formae auctoritate tollitur et novum exemplum memorabilis mutationis restituitur.

Cap. VIII.

De singularibus quibusdam barbarismi vestigiis.

Ex singulis multis qui hic coacervari possint soloecismis potiora tantum afferam.

1. In *praepositionum usu* quaedam prorsus inaudita inveniuntur.

σύν cum genetivo in tit. Phanagoriae n. 539

νῦν δὲ σὺν ἡρώων χῶρον ἔχοις φθίμενος.

Cum hoc titulo, qui II saec. p. Chr. n. non recentior est, duos conferas Panticapaei eiusdem fere aetatis CIG. 2114c et d *σὺν γυναικός* et tit. Romanum VI. saec. n. 9853, qui memorabile praebet barbarismi testimonium: *ἐνθάδε κατάκιντε Σέργιος καὶ Μαρούσῃ ἅμα Ἀναστασίῳ.. τοῦ αὐτὸν οιἡοῦ* (= *υἱοῦ*) *σὺν Ἀγάθις τῆς συνζύγου αὐτοῦ καὶ Μαίμαλος... τούτον οιἡὸς σὺν Μουσχοῦσι αὐτοῦ συνβίου.*

πρό cum dativo n. in Thraciae tit. a. 149 p. Chr. n. n. 841 v. 1 *τὸν πρὸ πύλαις Ἥρωα.* v. 3 *Κλαυδιανοῦ πρὸ δόμοισι,* haud dubie ad similitudinem Latinae praepositionis *pro c. abl.* fictum.

διά cum dativo in tit. Mytilenaeo II fere saec. p. Chr. n. n. 828 v. 7 *πάντα δὲ σοὶ νῦν ταῦτα δι' ἐργατίναις παλάμαισιν*

τρισσὸν ὑπὸλλυκάβαν Γραμματικὸς τελέω

ubi Kaibel recte soloecismum statuere maluit quam *διά* cum verbo *τελέω* coniungere, quae Boeckhii erat sententia.

2. *Casuum permutationem* paulatim irrepentem compluribus locis memoravimus: hic paucis exemplis comprobemus.

Nominativum pro vocativo[1]) duobus locis invenimus, *n. 475* (Spartae)

v. 5 *σὴ κατέχει Σπάρτη, πολὺ φίλτατος, ἀλλὰ Κορώνη . . .*

et *n. 907* Sinopae IV fere saec.

δέρκεό μοι, φίλος, ὧδε νοήμονα τέκτονα χαλκοῦ.

Longe autem frequentior est *accusativi et nominativi confusio*: n. 134 in tit. Attico

εἰς τύνβον κεῖμαι ἐννέα ἔχων δεκάδες,

quod non error lapicidae est, ut Kaibel, ceterum satis cautus, hic monet[2]) et n. 693 (Romae) *ἔζησεν ἔτη ε̄, μῆνες ῑ, ἡμέραν ᾱ.* Similia quaedam inveniuntur in epitaphiis Christianis. CIG. n. 9137 *ἔζησε ἔτι* (= *ἔτη*) *ν̄ πλέον ἔλατον μῆνες γ̄ ἡμέρας δεκαπέντε.* Item *μῆνες* pro *μῆνας* legitur n. 9464, n. 9552, n. 9590. Contra numeri significatio hoc vitio infecta est n. 9597 *τέσσαρες μῆνας.* Accedit tit. III p. Chr. n. saec. *δύο πόδες ὀπίσω μεταβάτω* (Mitth. d. arch. Inst. VI. p. 340), tit. prope Callipolin eff. (litt. ΑΕѠ) *μυριάδες τριακοσίας* (Mitth. d. arch. Inst. VI. p. 259), inscriptio Olympica paulo post Alexandri M. aetatem insculpta n. 4 (Arch. Zeitg. 1876) *πλείονερ* v. 8 et *χάριτερ* v. 17.[3]) — Denique plenam habes atque satis miram casuum confusionem n. 9676 ubi mediis genetivis accusativum insertum observamus: *ἐτῶν ς̄, μῆνας θ̄, ἡμερῶν ῑς̄.*

3. *Generum grammaticorum permutationem* semel tantum observamus in tit. memorabili, quod a viro doctissimo Herode Attico compositus est n. 1046 v. 50 *ἐλαιήεντες ἄρουραι*, ubi Kaibel doctam G. Hermanni expositionem ad Orph. Arg. 263 *ἐν ὑλήεντι κολώνῃ* (cf. etiam Nicand. *ψολόεντος ἐχίδνης*)

---

1) De optimae aetatis exemplis cf. Kühner, Gr. Gr. II § 357, 2.

2) Nec Kaibelium quidem de huius formae auctoritate dubitaturum fuisse censeo, si scivisset, quod nunc apographi a Dittenbergero confecti litterae ΑΕϹѠ aperte demonstrant, sat recentis aetatis esse hunc titulum.

3) Ceterum cf. Deffner, Arch. für mittel- und neugriech. Philol. I, 60, ubi totam hanc rem multaque similia absolvit.

memorat. Equidem novum addo testimonium epigraphicum Bull. de corr. Hell. 1880 p. 406 in tit. Halicarnasseo v. 3 ἐν ἡδέσι φωναῖς. — Longe alia generum confusio orta illa quidem partim eadem ratione, qua accusativi in -αν pro -α, invenitur n. 719

v. 8 ὡς ὅπου φῶς τὸ γλυκὺν παρέμεινε ἀκτεῖσι ἐπιλάμπον
ἡδὺν ἀπὸ στόματος καὶ γλυκὺν ὡς μελίτιν.

4. De *verborum usu* disputandi, sive nove dicta vocabula aut inaudita ac barbara ratione adhibita investigamus, sive Latinas voces verborumque structuras aspicimus, tam ampla materies parata est, ut si accuratius pertractare vellemus, novae instituendae essent quaestiones non tam grammaticae quam lexicologicae. Sed cum haec quoque apta sint ac necessaria ad recentiorum epigrammatum condicionem illustrandam, paucissima quidem eaque memorabilissima ex multis quae annotavi breviter enumerabo.

Nove dicta sunt e. g. εἰχθρολέων n. 96 (in eodem epigr. barbarum σποράσαι pro σπαράξαι), λυγροπαθής n. 151, ἰχνεύτειρα n. 185 (v. 9), κάλυβος (Hesych. = καλύβη) n. 260 (III v. II a. Chr. n. saec.), τὸ φεῖλος (i. q. φιλία) n. 289, ματέως (i. q. μάτην) n. 298, ἀκτείνη (i. q. ἀκτίς) n. 321, τὸ ἔργος duobus in tit. n. 321, 3 ἀπ' ἔργεος et ἔργεσι καὶ σοφίῃ n. 343, ἀμμοφανής (ἄμμος = ψάμμος) sc. χθών n. 430, ἀωρότης n. 372, 32, ἐκβιοῦν: ἑξηκοστὸν ἔτος... ἐξεβίωσα n. 640. 'ἐκβιοῦν verbum Steph. Thes. non habet nisi ex Eustathio.' Kaib., βλαψίταφος n. 712, σταίνω et στήκω verba barbara (cf. Du Cange, Gloss. med. et inf. graec.) n. 970, ἐπηνής i. q. αἰπεινός n. 1069.

Nove usurpata: λοιπὸν παραινῶ πατέρα... in filii epitaphio n. 125, ex hodiernorum Graecorum usu (cf. Kaib. annot.), ἄλοχος in uxoris tit. sepulcrali pro marito usurpatum n. 720, φίλασθαι passive, ut Apoll. Rhod. III, 66

καὶ δ' ἄλλως ἔτι καὶ πρὶν ἐμοὶ μέγα φίλατ' Ἰήσων,

sed memorabile, quod cum mediali significatione artissime coniunctum est.

v. 580, 1 σῆμα τόδ Εὐδαίμων Διονυσίῳ, ὅν ῥ' ἕταρον ὡς φίλατο καὶ Μούσαις ἔξοχα φιλαμένῳ

idem n. 247, 4 *μούσαις δ' οὐ μέγα φειλάμενος*[1]); *κευθομένα* pro *κεύθουσα* n. 1081[2]); *Νείλου χεῦμα, ὃς Αἴγυπτον αἰὲν ἔτος σώζει* de Nilo quotannis terram superstagnante n. 981.

Latina: *σίγνῳ* n. 168, *φίσκος* n. 337 et saepius, *πραιτωρεανός* n. 364, *χαρτάρις* n. 309, *βενεφικιάριος* n. 444, *κεντηνάριος* n. 446 sim., *ῥίσκος* (Poll., Phot., Ter. Eun. IV, 6. 16) n. 546, *κίστιβερ* n. 589, *ματρώνας* (acc. pl.) n. 607. — Quod praeter epigr. n. 582 (Romae) etiam aliquot locis recentiorum poetarum legitur, *ἀ-προ-ιδής* fortasse nihil est nisi Latinum im-pro-visus in Graecum sermonem translatum. Verborum denique constructionem habes prorsus Latinam in tit. Amorg. valde rec. n. 280 *τε[χ]θε[ὶ]ς λυκάβαντας μ̄* i. q. natus annos XL.

---

1) Usitata formula fuisse videtur: *Μούσαις ἔξοχα φειλάμενος*, quam suum in usum lepide convertit epigr. n. 247 auctor.

2) Similem soloecismum repperi Lebas. V. a. n. 2343 *ἀνηγέρθη* pro *ἀνήγειρε*.





